210.2
Sch. 31

DE VERA RELIGIONE

ADVERSARIA THEOLOGICA (1)

FATHERS ALMA COLLEGE
LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
Alma, California
SAN JOSE

PRAECOGNITA.

Ex *Philosophia* et e communibus regulis *Artis criticae* dam quasi lemmata usurpamus, quae necessario sunt enoscenda ut valeant demonstrationes thesium, quibus gumentum nobis propositum deinceps evolvemus.

I. **Notitia supponenda de Deo.** Primum itaque supponimus naturalem notitiam quam de Dei existentia eiusque attributis Metaphysica suppeditat. Potissimum vero prae oculis semper est habendum quod de divina providentia, speciatim in regendis creaturis rationalibus, eadem Metaphysica docet. Ex quo illud manifeste consequitur, quod cum Deus ipse cognoscendus et amandus constituat ultimum finem totius vitae humanae, homini praesto esse debent media congrua et necessaria ut hunc suae creationis finem obtinere possit, imperfecte quidem in hac vita, perfecte autem in futura. Ad divinam quippe providentiam spectat opportuna praeparatio mediorum seu adiumentorum quibus singulae res indigent, ut eo fine

(1) Tradita in Seminario Cheriensi Soc. Iesu anno 1896 a P. Sancto Schiffini. Opera Philosophica eiusdem Auctoris ita citantur, [*Pr. Ph.*] [*Met. Sp.*], [*Ph. Mor.*], videlicet *Principia Philosophica*, *Metaphysica Specialis*, *Philosophia Moralis*, addito num. marginali. Non citatur Compendium, sed Opus maius dumtaxat.

1796
ALMA COLLEGE
LIBRARY

potiantur propter quem a Deo conditae fuerunt. Haec omnia ex professo demonstravimus partim in 3ª parte Metaphysicae, partim in 1ª Disp. Philosophiae Moralis.

II. **Revelationis utilitas et necessitas**. Secundo loco ponimus quae de *limitibus scientiae naturalis* cum B. Thoma in Logica docuimus [*Pr. Ph.* 421 sqq.]. Sunt autem tria praecipua capita doctrinae quae huc referuntur. Primum est existentia veritatum superrationalium. Alterum est possibilitas et convenientia doctrinae qua hae veritates, divina testificatione interposita, humano generi revelentur. Tertium denique est summa convenientia atque adeo moralis necessitas quae inest in eo quod, eadem divina testificatione interposita, humano generi revelentur illa etiam, quae in rebus divinis humanae rationi per se non sunt impervia, quo videlicet in praesenti quoque humani generis conditione hae veritates ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognosci possint. Lege S. Thomam (1. *Cont. Gent.* cc. 3, 4, 5.).

III. **Criteria divinae revelationis.** Divinae testificationis signa generatim sunt facta divina, h. e. propria divinae virtutis, quibus Deus ipse suo quasi sigillo confirmat doctrinam quae eius nomine proponitur. Quae facta divina se habent quasi inflexio et modulatio, quae propria sit locutionis non humanae, sed divinae, prout eleganter notavit Augustinus. *Sicut humana consuetudo*, inquit, *verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur: ut sicut humano sermoni verba nova vel minus usitata moderate et decenter aspersa splendorem addunt; ita in factis mirabilibus aliquid significantibus quodammodo luculentior est divina eloquentia.* (Ep. 102. *ad Deogratias*, q. 6. n. 33.). Sedulo autem cavendum est, ne vel aestu imaginationis seu mentis praeiudicio, vel praestigioso aliquo interventu quis decipiatur, et quasi divinae locutionis signa usurpet quae aliunde quam a Deo procedunt. Qua de re monitum Christi habemus: *Multi pseudoprophetae surgent et seducent multos..... Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna et prodigia, ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Matth. xxiv. 11, 24. Ceterum ad suavitatem divinae providentiae spectat ut

semper praesto sit aliqua ratio, qua moraliter eiusmodi signa diiudicari possint, si homines quantum in se est faciant ad veritatem cognoscendam. Propterea recte ait Suarez. " Non pertinet ad providentiam Dei non permittere falsa signa, quae ad profectum et probationem electorum prosunt. Sed pertinet ad providentiam Dei dare auxilium ac modum quo possint diiudicari et cognosci, quia non est divinae bonitatis et sapientiae ut permittat hominem tentari ultra id quod potest. „ (Disp. 31. *De Mysteriis vitae Christi*, sect. 2.)

IV. **Miracula et prophetiae.** Inter memorata signa divinae virtutis praecipuum locum obtinent *miracula* et *prophetiae*, prout monet Vaticana Synodus Const. *Dei Filius*, c. 2. De miraculis data opera egimus [*Met. Sp.* 591 sqq.). Quod vero attinet ad prophetiam, hoc nomen in praesenti non communi, sed specifico sensu usurpatur *pro certa praedictione futuri contingentis*, quod nempe contingentem habet connexionem cum suis causis, ut praesertim sunt actus liberae voluntatis. Quandoquidem vero unus Deus eiusmodi futura praescire potest [*Met. Sp.* 485], certa eorumdem praedictio ut oraculum vere divinum apud omnes gentes semper habitum fuit. Ex quo nomen *divinationis* accepit. Est itaque prophetia, quae hoc nomen reipsa mereatur, aeque infallibilis ac sermo divinus. Dupliciter autem constare potest oraculum esse vere propheticum. Primum, si ille, qui in nomine Dei se aliquid praenuntiare affirmat, certis aliis signis se quasi divinum legatum comprobaverit. Luculentum habes exemplum 3. Reg. xviii. 20 seqq. Secundo, per ipsam adimpletionem eorum quae praenuntiantur. Haec regula traditur Deuter. xviii. 21, 22. *Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum; quod in nomine Domini propheta ille praedixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum.* Ex quo sequitur res notatu dignissima. Quoties nempe unum idemque vaticinium pluribus quasi partibus constet quae futurae praenuntiantur, tum adimpletio unius optimum signum esse poterit ex

quo certi simus alias quoque fore adimplendas. Nam ex iis quae videmus adimpleta recte colligimus, non per tumorem animi, sed ore vere prophetico vaticinium fuisse prolatum, atque adeo a falsitate esse immune quoad omnes sui partes, sive quae evenerint, sive quae venturae praedicuntur. Atque huc spectat argumentatio Augustini, quando ait. " Ostendimus fidem prophetarum ex iis quae ventura cecinerunt et venisse cernuntur „ (13. *Cont. Faustum*, c. 13.). Et rursus. " Quorum tam multa impleta conspicimus, ut recta pietate futura esse cetera confidamus... Nullis enim prudentius credimus, vel de praeteritis quae olim facta sunt, vel de futuris quae nondum facta sunt, quam eis qui nobis fidem verborum suorum tam multis tamque magnis, quae ab eis praedicta iam facta sunt, probaverunt. „ (10. *De Civit.* c. 32.) (1)

V. **Naturale officium revelationis amplectendae.** " Quum homo, inquit Vaticana Synodus, a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. „ (Const. *Dei Filius*. c. 3.) Ex quo perspicue colligitur, eum cui lux divinae revelationis necdum affulsit, teneri efficere quod in se est ad veritatem in re tanti momenti inquirendam: secus enim ignorantia vincibili atque adeo culpabili laborabit. In qua investigatione praeprimis opus est ut ipsius Dei opem ex animo et cum fiducia imploret, iuxta illud Iac. 1. 5. *Si quis autem vestrum*

---

(1) Apposite in eamdem rem Rupertus. " Cum prophetae mitterentur ad praenuntiandum de longinquo Christi adventu, simul etiam de propinquo datum vel iniunctum est illis, prophetare illud in quo citius veraces comprobari possent: scilicet imminentem ab Assyriis Israeli captivitatem; itemque instantem Iudae quoque Babylonis transmigrationem; et praeterea nonnulla etiam minora quae literis eorum legimus inserta. Cum igitur cito evenisset captivitas seu transmigratio illa, sicut per illas veritas prophetica praedixerat, palam constitit quod veraciter fuissent locuti in nomine Domini et quod Deus misisset eos. Atque ita completa prophetiae pars illud quoque quod reliquum vel maximum erat de promissione et adventu Messiae, verum fore convincebat. „ (Prol. *in Oseam.*)

indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat; et dabitur ei. Haec autem obligatio, qua ex ipsa lege naturae homo adstringitur ad divinam revelationem inquirendam et amplectendam, valet non solum pro hominibus individuis, verum etiam pro humana societate, prout societas est. Naturale enim existit officium, ut non solum individua seorsum sumpta, sed societas etiam, ad quam homo per se ordinatur, veram religionem profiteatur. Ad officium autem verae religionis praeprimis spectat debitum divinae revelationis amplectendae, atque adeo inquirendae, si nondum agnoscatur. Confer quae de hac re ex professo tradidi (*Ph. Mor.* 247, 248, 499 sqq.).

VI. **Signa divinae revelationis quomodo dignoscantur.** Sicut ex testimonio aliorum, si debitae conditiones adfuerint, certiores effici possumus de factis quamplurimis, consimili etiam ratione certo nobis constare potest de historica veritate signorum quibus Deus revelationem suam confirmat. Haec signa, licet naturae vires excedant, possunt tamen esse sensibilia et facilia cognitu: quin ipsa facti supernaturalitas et insolentia attentionem circumstantium ciere solet. In rebus enim mirabilibus, quaeque raro contingunt, initio dubitare solemus, et post multam inquisitionem assensum adhibemus. Si propterea res eiusmodi narrentur ab iis qui sensus habuerint rite dispositos ad factum percipiendum, et de quorum veracitate ambigi non possit, nonnisi temere denegarentur. Difficultas, quae in iis cernitur, respicit modum quo fiunt, minime vero simplicem earum existentiam percipiendam. Atqui ipsa naturalis ratio dictat modum proprium operandi Divinitatis esse plane ineffabilem et a comprehensione humanae mentis longe remotum. Ergo difficultas illa, quae inest in modo quo fiunt miracula, et cetera opera Divinitatis, nedum deroget quidquam de veritate eorumdem, potius facit ut credibiliora reddantur, si nempe ceteroquin adsit idoneum testimonium, cui in rebus eiusmodi fides adhibeatur. Accedit alia ratio qua hoc ipsum egregie confirmatur. Nam quae primum locum obtinent in divina revelatione sunt mysteria, quae videlicet e naturalibus

principiis intelligi et demonstrari non possunt. Ut autem eiusmodi veritates simplici fide credantur, maxime disponitur intellectus iis divinis signis, quorum effectio et modus efficiendi naturalem captum humanae comprehensionis etiam excedunt. Ut enim optime arguit S. Thomas, " naturale est homini ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales; ita per aliquos supernaturales effectus... in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur. „ (*Summa th.* 2. 2ae q. 178. a. 1.) Cum itaque Rationalistae a priori reiicienda esse decernunt miracula omnia et vaticinia, eo quod naturalem virtutem causarum secundarum sive efficiendi sive cognoscendi excedunt, praeter et contra omne dictamen rectae rationis loquuntur.

VII. **Genuinitas Evangeliorum.** Certum est circa dimidium seculi II. quatuor nostra Evangelia in omnibus ecclesiis christianis genuina agnita fuisse, h. e. ab iis auctoribus edita quorum nomine inscribuntur. Huius rei testis est Tertullianus (4. *Adv. Marcionem*, c. 2, 4, 5.), et ante Tertullianum Irenaeus (L. 4. c. 2. et 11.). Quibus adde testimonium Origenis (Hom. 7. *in Ioan.*), et Clementis Alexandrini (3. *Strom.* c. 13). Item fragmentum *Muratorianum* confectum ante finem sec. II. quo continetur catalogus librorum, quos Ecclesia Romana aut ut inspispiratos recipiebat, aut ut haereticos vel spurios reiiciebat. Quae testificatio universalis et deinceps usque ad nostram aetatem serie non interrupta constanter continuata pro nullius libri profani genuinitate afferri potest. Accedit quod nullo modo praesumi potest, omnes Christianos variarum nationum et linguarum, eosque per regiones valde dissitas seiunctos, in unum eumdemque errorem conspirasse, in eoque per tot secula constanter perstitisse quoad rem, quam bene internoscere omnium summopere intererat, et in qua summa erat pastorum vigilantia ne quidquam obtruderetur quod apostolicam traditionem ulla ex parte immutaret. Hanc genuinitatem agnoverunt veteres plerique haeretici, Ebionei, Marcionitae,

Valentiniani, qui primis Ecclesiae temporibus ea quidem corrumpere tentarunt et ad proprios errores firmandos adhibuerunt, sed numquam Apostolis abiudicare ausi fuerunt. (1) Id quoque dicatur de paganis, Celso, Porphyrio, Iuliano apostata, aliisque, qui Evangelia oppugnarunt, sed de eorum genuina origine ne levissimum quidem dubium moverunt, quod quidem fecissent, si aliqua speciosa ratio se obtulisset. Non potest igitur haec quatuor Evangeliorum genuinitas in dubium revocari, nisi quis vesana temeritate et insipiente pyrrhonismo fidem omnem historicam respuere velit. Quod autem de genuinitate Evangeliorum asseruimus, id quoque dicatur de eorumdem integritate substantiali. Iisdem enim argumentis utrumque conficitur. Quare Augustinus contra Manichaeos. " Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel, ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas, cum id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possint convincere. „ (*De utilitate credendi*, c. 3.) Et alibi. " Quis tandem tanto furore caecatur... qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros traiicerent, cum eorum cathedras usque ad praesentes episcopos certissima successione

---

(1) " Tanta est autem circa Evangelia haec firmitas ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionei enim eo Evangelio quod est secundum Matthaeum solo utentes, ex illo ipso convincuntur, non recte praesumentes de Domino. Marcion autem id quod est secundum Lucam circumcidens, ex his quae adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum existentem Deum ostenditur. Qui autem Iesum separant a Christo, et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Iesum dicunt, id quod secundum Marcum est praeferentes Evangelium, cum amore veritatis legentes illud corrigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Ioannem plenissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum, ex ipso detegentur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus in primo (c. 9.). Cum ergo hi qui contradicunt nobis testimonium perhibeant et utantur his, firma est vera et nostra de illis ostensio. „ Irenaeus. (Lib. 3. c. 11.)

servaverint, cum hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia tanta facilitate proveniat... „ Et paulo inferius hanc quoque optimam rationem affert cur scripta Apostolorum corrumpi non potuerint. " Quisquis enim, inquit, hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur, maxime quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur. „ (*Contra Faustum*, lib. 30. n. 6. lib. 32. n. 16.)

VIII. **Historica veracitas Evangeliorum.** Quod de genuinitate quatuor Evangeliorum proxime asseruimus, idem quoque est asserendum de eorum historica veracitate, nempe ex communibus criticae regulis ea tantam fidem mereri, quantam nullus liber historicus profanus sibi unquam conciliavit. Quare recte Eusebius. " Sane commode mihi dictum videtur: aut prorsus credere oportet Iesu discipulis, si reliquis quoque scriptoribus; aut si non his, nec reliquis quidem... Aut si dicis, aliis quidem credere aequum esse, at his solis non credere, cur non hoc plane ad invidiam referatur? „ (*Demonstr. Evang.* lib. 3. c. 5.) Et meritissimo quidem. Nam facta, quae Evangelistae referunt vel ipsi audierunt et viderunt, sicut de se testatur 1. Ioan. i. 1. sqq., vel ab immediatis testibus acceperunt, ut ait Luc. i. 1. sqq. Agitur praeterea de factis plerumque publicis, quae coram multis, iisque non incultis barbaris, sed Iudaeis, Graecis et Romanis, gesta sunt, ad quae narranda sufficiebat habere oculos, aures et memoriam. Erant insuper facta illustria valde, quae omnium attentionem et curiositatem maxime excitabant, ut illud de resurrectione Lazari, de caeco a nativitate, etc. Ergo veritatem in iis quae narrant Evangelistae facillime cognoscere poterant, neque ulla causa erat cur ipsi dicantur decepti. Quod autem, sicut error, ita mendacium ab eorum testificatione abfuerit, manifestum fit imprimis ex ipsorum qualitate. Ubique enim se exhibent ut viri probi et ab omni simulationis specie alienissimi. Propterea et propriam vilem conditionem, suosque defectus tardi ingenii, timiditatis atque aemulationis reprehensiones a Christo datas sincere referunt, et ea quae in dedecus sui

magistri vergere poterant minime dissimulant. (1) Erant praeterea homines rudes, atque adeo prorsus inepti ad fingenda ea quae referunt, etsi maxime voluissent. Exhibent enim Messiam, non qualem Iudaei passim expectabant, mundanum et gloriosum, sed pauperem et humilem: eiusque doctrina sive theoretica sive practica, ab iisdem relata, est tam sublimis et perfecta, ut nec Plato, nec Socrates, nec Aristoteles quidquam ei simile unquam excogitaverit. Id quoque colligitur ex ipsa narratione. Nemo enim gratis est mendax, atque adeo in mentiendo species aliqua utilitatis apparere debet. Evangelistarum autem narratio nihil ipsis offerebat nisi irrisiones et persecutiones, prout aiebat Paulus 1. Cor. I. 23. *Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Quod quidem argumentum luculentius apparet, si attendatur ad naturalem timiditatem et pusillanimitatem quam ipsi de se testantur, ut diximus. Item, plusquam dementis fuisset sperare ut quae ipsi fingerent, in aliis fidem obtinerent. Apud eos enim scribebant, qui facillime mendacium detegere poterant, eorumque maxime intererat eos ut mendacii reos non solum arguere, sed punire: quod tamen nunquam effecerunt. Tandem modus ipse evangelicae narrationis simplex et ab omni fuco liber non homines fraudulentos, sed sinceros veri amatores ubique demonstrat.

IX. **Vaticinia consignata in V. T.** Quod spectat vaticinia Messianica V. T. e quibus divinitatem Christianae religionis postea ostendemus, nihil necesse est in praesenti supponere genuinitatem librorum Scripturae quibus continentur. Satis superque est, si constiterit ea edita fuisse multo ante quam Christus nasceretur. Id autem manife-

---

(1) " Iidem ipsi, qui narrarunt crucifixum et colaphis caesum, illi etiam haec (miracula) dixerunt. Cur ergo fide dignos in illis putas, in his vero reprehendis quasi gesta non sint? Atqui si ad magistri gratiam haec scripserunt ac temere frustraque iactitarunt, ea tacuissent quae tristiaque ignominiosaque apud multos habebantur. Iam vero illi horum veritatem declarantes in illis maxime immorati sunt, omniaque diligenter copioseque tractarunt, nec magno nec parvo quopiam praetermisso, sed in signis et miraculis plurima tacuerunt. „ Chrysostomus. (Hom. *Quod Christus sit Deus*, n. 17.)

stissime constat ex testimonio, in hac re minime suspecto, Iudaeorum qui hos libros tam religiose asservarunt. " Propterea, inquit Augustinus, adhuc Iudaei sunt, ut Libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas Litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio quod praedicamus finxerimus prophetas per quos praedictum videretur quod praedicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipsae Litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Iudaeos sunt, omnes ipsas Litteras habent Iudaei. Proferimus codices ab inimicis ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Iudaei? Codicem portat Iudaeus unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant. „ (Enarr. *in Ps.* 56. n. 9.) Praeterea, certum est, pluribus seculis ante Christum extitisse versionem Graecam Alexandrinam illorum librorum, in quibus haec vaticinia reperiuntur (Prol. Eccli.). Ceterum genuinitatem Librorum propheticorum V. T. rationalistae fere admittunt. Pro genuinitate autem Pentateuchi concedenda cuique cordato viro, nec plane sceptico, sufficere debet unanimis et constans omnium Iudaeorum persuasio, etsi fuerint a saeculo VII. ante Christum in varias gentes dispersi diversissimasque sectas dilacerati, cum praesertim tota historia gentis Israeliticae legislationi Pentateuchicae, uti a Mose tradita, constanter innitatur. Apposite rursus Augustinus. " Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque eiusmodi auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibi succedentium contestatione continua? Unde constat quid cuiusque sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interroganti, cuius quisque liber sit, non haesitemus quid respondere debeamus? „ (33. *Cont. Faustum*, c. 6.) Confer Cornely (*Introd. Compend.* Diss. 4. c. 1.).

DEMONSTRATIO CHRISTIANA

THESIS I.

Multis seculis ante Iesum Nazarenum complura vaticinia extabant, quibus futurus mundi Salvator praedicebatur, et magna adiunctorum varietate describebatur.

Probatur I. pars. Constat ex communi expectatione totius gentis Iudaicae, quae expectatio fuit et est nota quasi characteristica illius populi. Huius expectationis vestigia, quin et argumentum, habemus in cantico Mariae, Luc. i. 46 sqq., Zachariae, Luc. i. 68 sqq., et Simeonis, Luc. ii. 29 sqq. Idem apparet ex responso quod principes sacerdotum et scribae dederunt Magis interrogantibus, ubi Christus nasceretur, prout narrat Matth. ii. 1 sqq.; ex legatione Iudaeorum ad Ioannem Baptistam, Ioan. i. 19 sqq., et ipsius Ioannis Baptistae ad Iesum quaerentis per discipulos; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Matth. xi. 2 sqq. Adde alia loca, v. c. Matth. xxii. 42.; Marc. xv. 43.; Luc. ii. 38.; Ioan. vi. 14.; vii. 31.; xii. 34.; Act. xxvi. 6.; xxviii. 20. Eadem expectatio vigebat apud Samaritanos, a Iudaeis separatos sec. VIII. ante Christum, ut patet ex muliere illa Samaritana quando dixit; *Scio quia Messias venit.* Ioan. iv. 25. Quin fama haec apud ipsos Gentiles percrebuit, ut patet ex interrogatione Magorum: *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente et venimus adorare eum.* Matth. ii. 2. coll. Num. xxiv. 17.; item ex Sibillinis

oraculis, quae laudarunt praecipui ex scriptoribus gentilibus, Varro, Cicero, Tacitus, Svetonius. (1)

Huic fidei plane concordant vaticinia Scripturarum quas vetus Synagoga prae manibus habebat. Ita Isai. xlv. 8. *Rorate caeli desuper et nubes pluant Iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem et iustitia oriatur simul.* Variis nominibus excellentia huius Salvatoris et salutis per eum adducendae exprimitur. Dan. ix. 26. appellatur *Messias*, gr. Χριστός, lat. *Unctus*, ad significandum triplex munus promissi Salvatoris, pro triplici illa unctione quae in usu erat apud Hebraeos. Ex. xxix. 7.; 3. Reg. xix, 16., nempe Sacerdotis, Prophetae, Regis. Quae tria munera alibi expresse designantur, Sacerdotis, Ps. cix. 4. *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*: Prophetae, Deuter. xviii. 15.; *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*: Regis, Mich. v. 2.; *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* De hac unctione loquitur Ps. xliv. 8.; Isai. lxi. 1. Vocatur etiam desiderium, expectatio, lux gentium, Gen. xlix. 10.; Isai. ix. 2.;

---

(1) Tacitus, cum descripserit Hierosolymorum munitiones, copias, et duces, ita pergit. " Evenerant prodigia, quae neque hostiis, neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum. Expassae repente delubri fores, et audita maior humana vox, *Excedere Deos*, simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur: quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerat. Sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. „ (*Hist.* lib. 5. c. 13.) Gemina fatetur Svetonius. " Percrebuerat, inquit, Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum postea eventu paruit, praedictum, Iudaei ad se trahentes, rebellarunt: caesoque Praeposito, Legatum insuper Syriae consularem suppetias ferentem, rapta aquila, fugaverunt. „ (*Vespasianus*, c. 4.) Consimili modo loquitur F. Iosephus (*De Bello Iud.* VI. 5, 6) qui consueta sua assentatione talem honorem Imperatori Romano, potius quam Messiae, quem christiani credebant, tribuere maluit.

Agg. II. 8.: dominator, angelus testamenti, sol iustitiae Malach. III. 1.; IV. 2.: pastor, Isai. XL. 11.; Ezech. XXXIV. 23.: Emmanuel, Isai. VII. 14.: admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis, Isai. IX. 6.: Dei filius, Ps. II. 7.

Probatur II. pars. Salus haec humani generis, quae legitur divinitus promissa usque ab exordio mundi futura per mirabile quoddam *semen mulieris*, Gen. III. 15., paulatim et per gradus veluti quosdam ita in vaticiniis V. T. declaratur et mira quadam adiunctorum varietate describitur.

I. Atque imprimis designatur stirps huius seminis. Gen. IX. 26, 27. subobscure indicatur hoc semen proditurum ex populo semitico, propter specialem benedictionem quae huic populo tribuitur prae descendentibus ex Chanaan et Iaphet. Perspicue autem praedicitur futurum esse semen Abrahae, Gen. XII. 3.; *In te benedicentur universae cognationes terrae*: Isaaci, Gen. XVII. 19, 21.; XXII. 18.; XXVI. 4.: Iacob, Gen. XXVIII. 14. Quod quidem legitur etiam praedictum a Balaam, Num. XXIV. 17.; *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel.* Tum vero determinatius assignatur ex qua tribu Iacob salvificum hoc semen sit obventurum, nempe ex tribu Iuda, Gen. XLIX. 10.; *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Tandem, e diversis familiis huius tribus, domus ac familia David praedicitur futura radix ex qua progerminabitur hoc semen, 2. Reg. VII. 13 sqq. Paral. XVII. 1 sqq. Quod Isaias XI. 1., illis verbis declaravit; *Et egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet*, etc. Haec promissi Salvatoris origo adeo nota erat Iudaeis, ut cum Iesus sciscitaretur a Pharisaeis; *Quid videtur vobis de Christo? cuius filius est?* illi incunctanter responderunt, *David*, Matth. XXII. 42. Et cum aliqui putarent Iesum esse Messiam, ita reposuerunt alii: *Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Ioan. VII. 41, 42. Pulchre autem hoc semen dicitur *semen mulieris*, nimirum ad significandam virginitatem

huius mulieris, prout praedixerat Isaias, VII. 14.; *Ecce virgo* (hebr. **la** *Vergine*) *concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.*

II. Delineantur singula adiuncta Salvatoris ex illo semine nascituri. Praedicitur nativitatis locus, Bethlehem Iudae, MICH. V. 2., prout notum erat Iudaeis, MATTH. II. 6.: praecursor Ioannes Baptista, MALACH. III. 1.: tempus adventus, GEN. XLIX. 10.; DAN. IX. 25, 26.; AGG. II. 8. 10.; MALACH. III. 1. (1) Describuntur quoque Messiae conditio humilis omnem excludens fastum, ZACH. IX. 9.: eius miracula, ISAI. XXXV. 45.; XL. 3, 4, 5.: passio et mors, PS. XXI.; ISAI. LIII.: resurrectio, PS. XII. 10.: ascensio in caelum LXVII. 19.; CIX. 1.: Spiritus Sancti missio, IOEL. II. 28. Minutatim vero ita describuntur adiuncta passionis et mortis, ut potius videatur a teste oculari narrata, quam tot ante seculis praenuntiata. Praedicuntur nempe consilium principum et causa odii, PS. II. 2.; SAP. II. 12 sqq.: venditio, ZACH. XI. 12.: sputa et alapae, ISAI. IV. 6.; HIER. THRE. III. 30.: flagellatio, PS. CXXVIII. 3.: divisio vestimentorum, PS. XXI. 19.: fel et acetum, PS. LXVIII. 22.: crucifixio, ZACH. XII. 10.; XIII. 6. Praedixit etiam Isaias LIII. 12., eum fore adnumerandum inter sceleratos.

III. In iisdem vaticiniis expressa fit mentio abrogationis veteris oeconomiae Mosaicae per Messiae adventum. Testimonia prostant DEUTER. XVIII. 15.; ISAI. LV. 3, 4, 5.; LXVI. 18.; JER. XXIII. 3... 6, 14... 18; XXXI. 31... 37.; EZECH. XXIV. per totum; DAN. IX. 26, 27.; MALACH. I. 10, 11.; III. 1. His locis aperte praenuntiatur nova lex, novum sacerdotium, abrogata lege et sacerdotio veteri: item novus propheta, legislator et pastor successurus in locum Mosis et Aaronis. Cum ista autem abrogatione oeconomiae veteris coniungitur in iisdem vaticiniis abiectio populi Iudaici, OSE. III. 4.; ISAI. LXV. 14.; DAN. IX. 26.

IV. Tandem, quasi nota characteristica et fructus

---

(1) Confer, pro intelligentia cit. vaticinii Iacobaei et Danielis, *Compend. th.* Hurter vol. 1. th. XI. Plenior utriusque interpretatio spectat ad tr. *De Incarnatione.*

praecipuus adventus promissi Messiae praenuntiatur conversio Gentium a superstitioso idolorum cultu et flagitiosa vita ad verum cultum Dei Abraham atque eximium omnium virtutum exercitium. Continetur hoc vaticinium tum in benedictione Abraham, Isaac et Iacob; tum in Psalmis compluribus, praesertim, XXI, XLVI, LXXI, LXXXV, XCV, XCVII, CXVII; tum apud Isai. II. 2... 4, IX. 1... 7, XI. 1... 10, XII, XXV, XLII, LII. 6 sqq., LIV, LV. Quae gentium conversio tam perspicue promittitur, ut Huetius recte notaverit. " Rerum omnium, quas praenuntiari hominibus voluit Deus, nulla omnino est, in quam praedicendam maiori consensu, crebrioribusque prophetiis conspirarint Sacri Vates quam Gentium vocatio ad notitiam veritatis. „ (Prop. 9. c. 158. n. 1.)

THESIS II.

Vaticinia Messianica V. T. in Iesu Nazareno ad amussim sunt impleta eiusque divinam missionem certo comprobant.

Probatio. Constat ex simplici comparatione vaticiniorum, quae in superiori thesi protulimus, cum iis quae de Iesu Nazareno narrant Evangelia.

I. Iesum Nazarenum fuisse ex domo et familia David, atque adeo ex semine Iacob, Isaac, Abraham et Sem, evincunt tabulae genealogicae Matthaei et Lucae. Propterea ut filius David vel ab infirmis vel ab universo populo salutabatur, Matth. IX. 27.; XXI. 9, 15. Eamdem originem, tamquam rem cuique notam, supponit Paulus Rom. I. 3.; XV. 12.; Hebr. VII. 14. Neque huic testimonio obstat virginitas Mariae. Cum enim ipsa esset filia unica parentum Ioachimi et Annae, nubere debebat ex lege Num. XXXVI. 7. alicui cognato in eum finem, ut haereditas maneret in eadem domo seu familia. Ioseph itaque fuit agnatus Mariae, adeoque Matthaeus, texens genealogiam Iosephi, indirecte recensuit etiam genus Mariae. Praeterea, Lucas III.

23 sqq. valde probabiliter genealogiam Iesu directe texuit per progenitores Mariae, ascendendo ab Heli, sive Eliacim aut Ioachim (haec enim nomina promiscue usurpabantur a Iudaeis), patre Mariae usque ad Natan filium Davidis. Neque etiam obstat quod Luc. I. 36. Maria dicatur cognata Elisabeth, cuius vir Zacharias erat de tribu Levi. Ut enim iam notaverat B. Thomas (3. p. q. 31. a. 2. ad 2.), nihil vetat, quominus Elisabeth fuerit de stirpe David, vel contra Anna, mater Mariae, fuerit de stirpe Aaron. Nam lex illa Num. proxime citata eas dumtaxat virgines spectabat, quae, prolis masculae defectu, ex asse haeredes erant.

II. Iampridem elapsum est tempus determinatum pro adventu Messiae in vaticiniis Iacob Gen. xlix., Danielis ix., Aggaei II., Malachiae III. Neque enim reliquiae ullae subsistunt sceptri Iudaici; septuaginta annorum hebdomades praedictae a Daniele ante duodeviginti secula sunt elapsae; eversum est funditus templum Zorobabelicum quod praesentia Messiae erat honorandum. Haec contra in Iesum Nazarenum exacte quadrant. Nam venit quando tribus Iuda omni potestate et autonomia erat spolianda; item quando templum secundum, sive Zorobabelicum, adhuc extabat et brevi antequam fuit destructum. Cetera praeterea adiuncta adventus Salvatoris, quae in thesi superiori commemoravimus n. II., in Iesu Nazareno sunt perfectissime adimpleta, ut historiam Evangelicam legenti fit manifestum.

III. Rescissum est, adventu Iesu Nazareni, Testamentum veteris Synagogae. Nam sacerdotium Leviticum et Aaronicum ita radicitus est extinctum, ut restitui amplius non possit: nullus enim Iudaeorum suam originem ex tribu Levi et ex stirpe Aaron probare potest. Abolita etiam sunt sacrificia antiqua ita, ut nec possibile sit amplius ut offerantur: siquidem deest templum in quo uno illa offerri licebat. Hinc observatio Legis Mosaicae, ex magna et praecipua parte, reddita est observatu impossibilis. Postremo, Deus ipse manifeste ostendit, se nolle amplius stare foederi antiquo. Vi enim illius pacti Deus se obligaverat ad regendum et protegendum populum

Iudaicum, ceu *populum peculiarem*, h. e. speciali cura qua *peculium* sive thesaurum tuemur. Qua de causa gens Iudaica antonomastice appellabatur *populus Dei*. Atqui post adventum Iesu Nazareni nullum superest indicium vel minimum huius specialis curae seu providentiae. Quin reprobatio huius gentis adeo est aperta ut in omnium oculos incurrat. Apposite Hieronymus. " Multa, Iudaee, scelera commisisti, cunctis circa te servisti nationibus. Ob quod facinus? Utique propter idololatriam. Cumque servisses crebro, misertus tui est Deus, et misit iudices et salvatores, qui te... liberarunt. Novissime sub regibus offendisti Deum, et omnis tua provincia, gente babylonica vastante, deleta est. Per septuaginta annos templi solitudo permansit... Ad extremum sub Vespasiano et Tito urbs capta templumque subversum est. Deinde civitatis usque ad Hadrianum principem per quinquaginta annos mansere reliquiae. Post eversionem templi paulo minus per quadringentos annos et urbis et templi ruinae permanent. Ob quod tandem facinus? Certo non colis idola, sed etiam serviens Persis atque Romanis, et captivitatis pressus iugo, ignoras alienos deos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui est oblitus, nunc per tanta spatia temporum miseriis tuis non adducitur, ut solvat captivitatem?... Ob quod, inquam, facinus et tam execrabile scelus avertit a te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum: *Sanguis eius super nos et super filios nostros*; et: *Non habemus regem nisi Caesarem.* „ (Ep. 129. n. 7.)

IV. Tandem laetissima Gentium ad verum Deum Abraham, Isaac et Iacob per Iesum Nazarenum conversio, quem vix natum Magi ab Oriente quaesierunt, Matth. II. 1 sqq., vix praedicatum fines totius orbis agnoverunt, Rom. X. 18., non tantum testantur Apostoli et scriptores antiqui, sed nos ipsi testes sumus. Quod argumentum pulcherrime evolvit Augustinus. " Me attendite, inquit, vobis dicit Ecclesia, me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Iudaea terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem et passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia

divina dicta eius et facta praesentes praesentia didicerunt. Haec vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec aspicite, in haec intendite, haec quae cernitis cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenuntiantur, sed praesentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod praedictum et impletum est de humana Christi nativitate: *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium*, Isai. vii. 14.: sed videtis quod praedictum et impletum est ad Abraham Dei verbum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Gen. xii. 3. Non vidistis quod de mirabilibus Christi praedictum est: *Venite et videte opera Domini quae posuit prodigia super terram*, Ps. xlv. 9.: sed videtis quod praedictum est: *Dominus dixit ad me*; *Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Ps. ii. 7 sqq. Non vidistis quod praedictum est et impletum de passione Christi: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem*: sed videtis quod in eodem psalmo praedictum est et nunc apparet impletum: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae patriae gentium, quoniam Domini est regnum et ipse dominabitur gentium.* Ps. xxi. 17 sqq. Non vidistis quod de resurrectione Christi praedictum atque completum est, loquente psalmo ex persona eius prius de traditore et persecutoribus eius: *Egrediebantur foras et loquebantur simul in unum; adversum me insusurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum disposuerunt adversum me.* Ubi ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subiecit atque ait: *Num qui dormit non adiiciet ut resurgat?* Et paulo post, cum de ipso suo traditore per eamdem prophetiam praedixisset, quod in Evangelio quoque scriptum est: *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum*, h. e. con-

culcavit me: continuo subdidit: *Tu autem, Domine, miserere mei et resuscita me, et reddam illis.* Ps. XL. 7 sqq. Impletum est hoc, dormivit Iesus et evigilavit, hoc est, resurrexit; qui per eamdem prophetiam in alio Psalmo ait: *Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Ps. III. 6. Verum hoc non vidistis. Sed videtis Ecclesiam, de qua similiter dictum et impletum est: *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terrae, et dicent: Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas.* Hoc certe, sive velitis sive nolitis, aspicitis, ut si adhuc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem, certe tamen innumeros gentium populos, relictis vel abiectis vel confractis huiusmodi vanitatibus, audistis dicere: *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra et non est in illis utilitas; si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii.* IER. XVI. 19. Non vidistis quod praedictum et impletum est de ascensione Christi: *Exaltare super caelos, Deus;* sed videtis quod continuo sequitur: *Et super omnem terram gloria tua.* Ps. CVII. 6. Illa de Christo iam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista praesentia in eius Ecclesia videre vos non negatis: utraque vobis praedicta monstramus: utraque autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectu praeterita non valemus. „ (*De fide rerum quae non videntur*, c. 4.)

Concluditur primum caput argumentorum pro divina Iesu missione. Ex iis omnibus, quae in hac et in superiori thesi tradidimus, hoc conficitur ineluctabile argumentum pro divina missione Iesu Nazareni. Praeprimis nulla ratione asseri potest, vaticinia quae recensuimus casu quodam fortuito impleta esse in Iesu Nazareno. Quae enim casu contingunt, eveniunt raro et in re omnino particulari. Vaticinia autem, de quibus loquimur, sunt quamplurima, diversis locis et temporibus edita et a diversis personis praenuntiata: respiciunt praeterea omnes easque valde determinatas circumstantias nativitatis, vitae et mortis Iesu Nazareni. Haec itaque vaticinia habenda sunt uti praedictiones ex praecognita veritate eventus

prolatae: secus essent effectus plane per accidens, nec nisi casu fortuito impleta fuissent. Eventus autem, qui iis vaticiniis futuri praedicuntur, sunt plane contingentes: siquidem pendent ex libera voluntate hominum et ipsius Dei. Ergo haec vaticinia sunt divinitus edita seu prophetiae veri et proprii nominis: solus enim Deus futura contingentia praescire potest. Iam vero ille, qui sub iis adiunctis venturus praedicitur, iisdem vaticiniis exhibetur uti mundi Salvator et divinus Magister. Ergo Iesus Nazarenus, in quo uno haec omnia adiuncta constat esse adimpleta, est reipsa mundi Salvator ac divinus Magister: secus ipse Deus falleretur aut falleret. Hoc argumentum ita propositum rem plane evincit. Ceterum maiorem adhuc vim habet, si perpendatur prophetas illos veteris Testamenti, quorum vaticinia attulimus, multis aliis divinis signis, ac saepe miraculis, se ceteris probasse tamquam nuntios veritatis divinitus missos, ut praesertim apparet in Moyse et Isaia. Propterea aiebat Petrus in 2. sua Epist. I. 19.; *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* Cf. quae initio notavimus pag. 3.

Oppones fortasse. Non desunt vaticinia Messianica, quae non videntur impleta in Iesu Nazareno, ex. gr. Ps. II. 8.; Isai. XI. 6.; Malach. IV. 5.

Respondeo. Plura oracula eatenus videntur non impleta in Iesu Nazareno, quia perperam intelligitur regnum Messiae et felicitas per illum promissa, quasi agatur de re caduca et materiali, minime vero spirituali et aeterna. Quod falsum est. Ut enim optime observat Suarez: " Promissa sunt nobis per Christum ea bona, quibus non possunt esse aliqua meliora: quaeque salutem veram hominibus afferunt et cunctis mortalibus aeque possunt esse communia. Huiusmodi vero proprietates non possunt convenire temporalibus bonis, sed spiritualibus et aeternis. Deinde, idem Messias aliis Prophetarum oraculis describitur pauper, humilis, et vir dolorum et sciens infirmitatem: signum est igitur, abundantiam bonorum, per ipsum futuram, non carnaliter, sed spiritualiter intelligendam esse, ut recte Hieronymus saepe docet *super Prophetas*, et Augustinus Lib. *De Spiritu et littera.* „ (*De Incarn.* D. 1.

sect. 4.) Huc pertinet 1^um testimonium in obiect. positum ex Ps. II. Quod vero spectat testimonium Isaiae, notandum est, saepe Prophetas sub metaphora temporalium rerum de rebus spiritualibus loqui. Quod itaque loc. cit. dicitur, non est intelligendum de feris et animantibus brutis, sed de magna concordia inter diversarum nationum gentes per Messiam afferenda. Cf. Origenem (4. *De Principiis*, c. 2.) Tandem, sunt aliqua testimonia Prophetarum, quae referuntur ad secundum Christi adventum; atque haec sunt adhuc implenda. Eiusmodi est illud cit. ex MALACH. IV. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Primus enim Christi adventus non ut horribilis, sed ut amabilis promissus est. Ceterum, si hoc testimonium referatur ad primum Christi adventum, explicandum est de Ioanne Baptista, qui Elias vocatur MATTH. XVII. 12., spiritu, virtute, zelo. Cf. Holtzclau (*De Incarnatione*, n. 80, 148 sqq.).

THESIS III.

Christus se ut a Deo missum, ad homines in via salutis edocendos, perspicue est professus. Quod quidem de se testimonium multis signis manifeste divinis indubium effecit.

Alterum caput argumentorum pro divina Christi missione. In duplici thesi superiori attulimus argumentum quod aetas praecedens adventum Christi suppeditat pro eius divina missione agnoscenda. Huc refertur illud 2. PETR. I. 19.; *Et habemus firmiorem propheticum sermonem.* Modo evolvere incipimus aliud argumentum seu testimonium, quo eadem divina Christi missio comprobatur, quodque ipse Iesus de hac sua missione suppeditavit. Quamvis vero ad propositam thesim probandam plus valeat simplex lectio Evangeliorum, quam theologica quaevis expolitio aut rhetorica amplificatio, tamen praestat sum-

matim indicare capita eorum quae in iisdem Evangeliis habentur pro veritate tanti momenti quam nunc investigamus.

Probatur I. pars. Atque imprimis Iesus Nazarenus manifestissime, multisque modis, divinam suam missionem asseruit.

I. Perspicuis verbis et magna asseveratione docuit, se reipsa esse *Christum*, h. e. *Messiam* quem Iudaei expectabant. Beatum praedicat Petrum, eo quod Deo revelante cognoverit ipsum esse Christum Filium Dei vivi. MATTH. XVI. 17. Diserte, et adducta auctoritate Moysis et Prophetarum omnium, edicit et probat se esse Messiam duobus discipulis euntibus in Emmaus. LUC. XXIV. 25 sqq. Mulieri Samaritanae dicenti; *Scio quia Messias venit* (h. e. in proximo est ut veniat); respondet: *Ego sum qui loquor tecum.* IOAN. IV. 25, 26. Pontifici summo eum interroganti gravissima illa adiuratione; *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*: respondet; *Tu dixisti.* MATTH. XXVI. 63, 64.

II. Se exhibet praeterea passim ut *magistrum divinitus missum.* Ita IOAN. XII. 44 sqq. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me... Ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Pater autem, cuius se filium asseverat, est Deus. Quod apparet tum ex testimoniis quae proxime attulimus, tum ex illa accusatione Iudaeorum; *Nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* IOAN. XIX. 7. Huc etiam spectant omnia illa testimonia, quibus asseverat, se esse maiorem Ioanne Baptista, Salomone, Davide, Abrahamo, ceterisque Prophetis: ex. gr. MATTH. XII. 41 sqq.; XIII. 17.; XXI. 37.; XXII. 43. IOAN. V. 39.; VIII. 58. Adde solemne illud testimonium coram Pilato, IOAN. XVIII. 37. *Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate audit vocem meam.*

III. Tandem ipse, quos Apostolos nominavit, mittit

ut cum eadem divina auctoritate ipsius doctrinam proponant ab omnibus sub comminatione aeternae damnationis recipiendam. *Accedens Iesus locutus est eis* (undecim discipulis), *dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi... Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* MATTH. XXVIII. 18 sqq.; MARC. XVI. 15.

Probatur II. pars. Hoc tam apertum testimonium ipse Iesus signis manifeste divinis confirmavit. Quod quidem ita patet.

I. Atque imprimis portenta illa, quae Iesus effecit quaeque passim in Evangeliis narrantur, sunt miracula veri et proprii nominis. Nam alia manifeste sunt supra, alia contra, alia praeter naturam. Supra naturam est, quod narratur de trium mortuorum resurrectione, adolescentis in Naim, LUC. VII. 11 sqq., filiae Iairi, MATTH. IX. 18., Lazari, IOAN. XI. Vita enim naturaliter non producitur nisi generatione, neque inesse potest nisi in organismo idoneo ad vitales operationes exercendas: e quibus neutrum habetur in resurrectione mortui, praesertim quando solo imperio perficitur, ut reipsa contigit in triplici illa resurrectione quam meminimus. Contra naturam vero fuerunt portenta, quando vel simplici benedictione panes multiplicavit, MATTH. XIV. 15 sqq.; XV. 32 sqq.: vel morbos in distans curavit, MATTH. VIII. 5 sqq.; XV. 21 sqq.; IOAN. IV. 46 sqq.: vel ianuas clausas intravit, IOAN. XX. 19.: vel ambulavit super aquas, MATTH. XIV. 25 sqq. Praeter naturam denique fuerunt portenta illa, quae propter instantaneum operandi modum non possunt naturaliter fieri, ut quando unico momento sanabat surdos et mutos, MATTH. IX. 32, 33., caecos, MATTH. IX. 27, 28.; IOAN. IX. 1. sqq., paralyticos, MATTH. IV. 24.; IX. 22., leprosos MATTH. VIII. 2. sqq., diuturno morbo confectos, MATTH. IX. 20, 21, 22.; IOAN. V. 5. sqq. Quae quidem non patrabat raro, in occulto ac certis positis conditionibus, sed saepissime, publice et

prout occasio ferebat, ita ut tota natura ipsique daemones eius nutui obedire viderentur. Neque haec patrata sunt ostentationis causa, et ad satisfaciendum curiositati, sed semper ut homines Deum magnificarent, et ad regulas honestatis mores componerent.

Huc etiam referri possunt ea, quae non fecit quidem ipse Iesus, sed circa Iesum divinitus facta leguntur, ut quae tempore nativitatis et infantiae ipsius acciderunt, Matth. I, II.; Luc. I, II.; item in eius baptismo, Matth. III. 16, 17.; transfiguratione, Matth. XVII. 1 sqq.; morte, Matth. XXVII. 45 sqq.

II. Haec miracula Iesus manifestissime patravit in eum finem ut sibi fides adhiberetur. *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Verba quae ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Ioan. XIV. 10, 11, 12. Ad quaestionem, utrum ipse esset Messias; *Respondens Iesus ait illis; Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis : Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Matth. XI. 4, 5.: quod est testimonium Isai. XXXV. 5.; LXI. 1., praenuntiantis signa quibus agnoscendus esset promissus Messias. Antequam Lazarum resuscitaret, *Iesus elevatis sursum oculis, dixit; Pater, gratias ago tibi quia audisti me; Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* Ioan. XI. 41, 42. Idem dicito de sua resurrectione, Matth. XII. 39, 40.

III. In eumdem finem adiecit praeterea Iesus vaticinia eventu comprobatissima. (1) Praedixit accurate pas-

(1) " Cum advenisset igitur et salutis negotium ageret, tum eorum qui tunc in vivis, tum etiam eorum qui postea futuri erant, variis illam modis procurabat, vide, quaeso, quid faciat. Miracula edit, et quaedam praedicit longis postea temporibus eventura. Ac per ea, quae tunc fiebant, iis quae postea futura erant, auditoribus praesentibus fidem faciens; futuris quoque ex eventu praedictionum credibilia reddens miracula illo tempore edita; atque ex hac duplici

sionem mortemque suam, Luc. xviii. 32 sqq., Iudae proditionem, discipulorum fugam, Petri negationem, suam resurrectionem, Matth. xx. 19.; xxvi. 21 sqq., discipulorum suorum persecutiones, Matth. x. 16 sqq.; xxiv. 9., Evangelii per orbem propagationem, invictamquae suae Ecclesiae constantiam, Matth. xvi. 18.; xxiv. 14.; xxvi. 13. Speciatim vero praedicit urbis templique eversionem secundum omnia et singula adiuncta quibus haec clades reipsa evenit. Confer Matth. xxi. 33 sqq.; xxvii. 35 sqq.; xxiv. 6 sqq. Marc. xii. 1 sqq. Luc. xix. 41 sqq.; xx. 9 sqq.; xxi. 20 sqq.

IV. E quibus hoc conficimus argumentum. Miracula et vaticinia eventu comprobata habenda sunt quasi sigillum vere divinum atque adeo infallibile eius doctrinae ad quam confirmandum fiunt. Atqui Iesus Nazarenus testimonium, quod ipse tulit de sua divina missione, omni genere miraculorum confirmavit, et in eumdem finem complura vaticinia edidit quae eventu sunt comprobatissima. Ergo hoc testimonium est vere divinum ac propterea ab omni falsitate alienum. Accedit quod minime decet suavitatem divinae providentiae, ut in re adeo gravi sinat humanum genus decipi errore plane invincibili. Nam pro divina Iesu missione asserenda potissima existunt signa, quibus divinam locutionem ex omnibus prudentiae regulis dignoscere possumus: nullum e converso apparet vel levissimum fundamentum quod rationabilem ullam suspicionem de falsitate ingerat. Si itaque error in hac re contingeret, esset error plane invincibilis, atque adeo de vera religione capessenda esset omnino desperandum. Quod quidem, ut diximus, cum suavitate divinae providentiae minus cohaeret.

Obiicies fortasse. Phaenomena recentioris hypnotismi multum assimilantur prodigiis et vaticiniis quae de Iesu Nazareno in Evangeliis narrantur. Atqui haec phaenomena haberi non possunt quasi sigillum divinae potentiae et sapientiae.

---

demonstratione fidem faciens iis quae ad regnum pertinebant. „ Chrysostomus (Lib. *Quod Christus sit Deus*, n. 11).

Respondeo. *Nego maiorem.* Tantum distant haec phaenomena, quae iactantur, a miraculis et vaticiniis Evangelicis, quantum praestigiae daemonum a factis et dictis manifeste divinis. Confer quae de hac re late disputavi [*Met. Spec.* n. 604 sqq. Edit. 1894.]

Instabis. Nihil repugnat, quominus Deus alicui homini concedat facultatem patrandi vera miracula, aut vaticinandi futura contingentia, ac deinde permittat ut ille homo abutatur facultate sibi divinitus concessa ad falsum aliquod dogma confirmandum. Tunc enim Deus non esset habendus quasi testis falsitatis. Ergo miracula et prophetiae non sunt certum sigillum divinitatis.

Respondeo. *Dist. mai.*; si de istiusmodi abusu constet aut constare possit, *trans.*; secus, *neg.* Hac de causa S. Thomas negat potestatem thaumaturgicam diabolo unquam concedi. *Quum operatio miraculosa*, ait, *sit quoddam divinitatis testimonium indicativum divinae virtutis et veritatis, si daemonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod divinam bonitatem non decet.* (Qq. Disp. *De Pot.* q. 6. a. 5.)

Urgebis. Pluries in Scripturis, ex. gr. Deuter. xviii. 22.; 1. Cor. xii. 2 sqq.; 1. Ioan. iv. 1, 2, 3, exhibetur doctrina uti criterium ad discernenda vera miracula verasque prophetias. Nos contra exhibemus miracula et prophetias Christi uti criterium doctrinae quam tradidit. Atqui id sine circulo vitioso fieri non potest.

Respondeo. Bene contingere potest ut, omni circulo vitioso sublato, doctrina aliquando adhibeatur uti criterium ad discernendum verum a fallaci miraculo, et vicissim miraculum adhibeatur quasi criterium ad veram doctrinam a falsa discernendam. Si enim agitur de doctrina evidenter vera aut certo iam cognita ut divinitus revelata, ut est ex. gr. unicitas veri Dei, ex contradictione illius cum aliquo praetenso prodigio, huius fallacia optime dignoscitur. Huc spectant testimonia Scripturae quae obiiciuntur. Sin contra ex una parte nondum constet, utrum doctrina aliqua vera sit annon, ex alia veris miraculis et prophetiis confirmetur, tum profecto nullus

erit circulus vitiosus, si haec miracula et hae prophetiae quasi certum criterium usurpentur veritatis doctrinae de qua est quaestio. Ita recte dixit Nicodemus: *Scimus, quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ioan. iii. 2.

THESIS IV.

Gloriosa resurrectio a mortuis Iesu Nazareni per se ipsa divinam eius missionem certissime demonstrat.

Quoniam tota vis argumenti, quod in superiori thesi attulimus, mirabili quadam efficacia exeritur in uno facto gloriosae resurrectionis Iesu a mortuis, speciatim est evolvendum. Propterea ipse Iesus saepe ad hanc resurrectionem appellavit ut ad divinissimum signum sive thaumaturgicum sive propheticum suae a Patre legationis. Matth. xvi. 21.; xvii. 21, 22.; xx. 19.; xxii. 38 sqq. Ioan. ii. 19, 21, 22. Quin Apostolus non dubitavit hanc veritatem ita proponere, quasi ex ipsius fide penderet fides in ceteros omnes fidei articulos. *Si autem*, inquit, *Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* 1. Cor. xv. 14. Sic itaque illud evolvimus.

Dico I. **Iesus Nazarenus vere est mortuus.** Haec prior assertio est adversus quosdam ineptissimos rationalistas qui effutiunt, Iesum non vere mortuum, sed syncope tantum oppressum fuisse. Frustra tamen et per summam impudentiam. Nam Iesum vere fuisse mortuum asserunt Apostoli omnes et Evangelistae. Ita milites qui cum suo centurione huius rei debebant rationem reddere. Marc. xv. 39, 44, 45. Ita principes sacerdotum et pharisaei, Matth. xxvii. 63, qui procul dubio minime adquievissent, si vel minima suspicio superfuisset de hac morte. Praeterea, quamvis concederetur, Iesum post omnia tormenta quae pertulit, potuisse vires recuperare (quod quidem per se est plane improbabile, praesertim postquam lancea latus eius effodit), nihilominus hoc fieri non potuisset nisi

longo tempore et adhibita diligentissima curatione. Atqui Iesus statim se exhibet Apostolis in pleno vigore, cum iisdem ambulat et loquitur, eosque ingenti replet gaudio. Item, quomodo fieri potuit, ut semimortuus ingentem lapidem sepulcri removerit ita, ut custodes eum non apprehenderint, quin Iudaei et Romani eum quietum abire passi fuerint? Tandem, non solum Christianis, sed Iudaeis etiam et Ethnicis mors Iesu ceu factum extra omnem controversiam positum perpetuo fuit, et quamvis realem eius resurrectionem impugnaverint, nunquam tamen exceperunt eum ex passione mortuum non fuisse.

Dico II. **Iesus post mortem suam vivus apparuit.** Constat hoc ex Apostolorum testimonio, quod quidem est omni exceptione maius. Neque enim decepti fuerunt, neque decipere voluerunt. Atque ut ad rem praesentem argumenta illa ipsa afferamus, quae ante adhibuimus pro veracitate Evangeliorum [pag. 8], imprimis manifestum est, Apostolos non fuisse deceptos in eo quod asserunt, se cum Iesu redivivo egisse. Se enim exhibuerunt ut omnino incredulos, nec nisi postquam eum audierunt, viderunt manducare, tetigerunt, se non cum phantasmate, sed cum homine vivo et vero conversari crediderunt. Agitur itaque de facto quodam perspicuo admodum et illustri, in quo ipsa evidentia rei suspicionem deceptionis removet. Accedit multitudo testium et apparitionum varietas per quadraginta dies. Hoc quod omnes et constanter fuerint hallucinati, sine ingenti temeritate affirmari non potest: praesertim cum facillimum fuisset Iudaeis hos visionarios ad silentium redigere, ostenso corpore Iesu demortui. Non itaque Apostoli in ea re decepti fuerunt. Sed neque ipsi alios decipere voluerunt asserentes se vidisse quae non viderunt. Constat imprimis *ex numero testium*. Nam, praeter undecim Apostolos, plusquam quingenti, 1. Cor. xv. 6., referunt factum, quod quidem non ante plurimos annos contigerit, sed propriis ipsi oculis recens viderint. Id quoque apparet *ex qualitate testium*. Neque enim Apostoli ad istiusmodi fabulam confingendam apti erant propter imperitiam et pusillanimitatem, neque etiam dispositi propter animi candorem

et vitae sanctitatem quae in eorum scriptis ubique relucet. Tandem id fit plane manifestum *ex natura narrationis*. Nam spes nulla affulgebat lucri cuiuspiam in mentiendo, sed contra summum libertatis imminebat periculum. Immo neque ipsi sibi polliceri poterant, fabellam quam venditarent ceteros credituros. Neque enim Iesu resurrectionem praedicaverunt in remotissimo aliquo terrae angulo, sed ubi Iesus erat mortuus, eiusque sepulcrum conspiciebatur, nempe ubi eorum mendacium sine ullo negotio detegi poterat. Confer Chrysostomum (Hom. 89. al. 90 *in Matth.*) ubi eloquentissime hoc argumentum evolvit.

Testimonio Apostolorum de vera Christi a mortuis resurrectione accedit testimonium totius orbis eo quod Apostolis in ea re crediderit. Quod argumentum mirifice explanavit Augustinus (22. *De Civ.* c. 5.). (1) Accedit etiam

---

(1) En verba S. Doctoris. " Iam credidit mundus sublatum terrenum Christi corpus in caelum; resurrectionem carnis et ascensionem in supernas sedes, paucissimis remanentibus atque stupentibus vel doctis vel indoctis, iam crediderunt et docti et indocti. Si rem credibilem crediderunt, videant quam sint stolidi qui non credunt. Si autem res incredibilis credita est, etiam hoc utique incredibile est, sic creditum esse quod incredibile est. Haec igitur duo incredibilia, resurrectionem scilicet nostri corporis in aeternum, et rem tam incredibilem mundum esse crediturum, idem Deus, antequam vel unum horum fieret, ambo futura esse praedixit, Matth. xxvi. 13. Unum duorum incredibilium iam factum videmus, ut quod erat incredibile crederet mundus. Cur id quod reliquum est desperatur?... Et ipse modus quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, et omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rethorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius seculi paucissimos misit, atque ita et ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit. Duobus illis incredibilibus, si placet, imo quia placere debet, addamus hoc tertium. Iam ergo tria sunt incredibilia, quae facta sunt. Incredibile est Christum resurrexisse in carne et in caelum ascendisse cum carne: incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse: incredibile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis, persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti cum quibus agimus credere; se-

ipsa ratio agendi Synagogae. Cum nihil omiserit ad quamlibet fraudem impediendam vel detegendam, Matth. xxvii. 62 sqq., numquam ausa fuit Apostolos ob fraudem in ius vocare, sed eis tantum silentium indixit, Act. iv. 17. Neque etiam ausa fuit milites propter socordiam punire, sed solum, data pecunia, eos induxit ut dicerent, *se dormientibus*, Apostolos furatos esse corpus Iesu. Matth. xxviii. 13. In quo certe ipsa obdormivit, ut pulchre ait Augustinus, eo quod ad testes dormientes appellaverit.

eundum coguntur et cernere; quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi, et in caelum cum carne in qua resurrexit ascensio, toto iam mundo praedicatur et creditur: si credibilis non est, unde toto terrarum orbe iam credita est? Si multi nobiles, sublimes, docti eam se vidisse dixerunt, et quod viderunt diffamare curarunt, eis mundum credidisse non mirum est; sed istos adhuc credere nolle perdurum est. Si autem, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et scribentibus credidit mundus, cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo iam credenti adhuc usque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius divinitas se ipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium quae dicebant, mira fuerunt facta, non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse, et cum illa in caelum ascendisse non viderunt, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, sed etiam mirifica facientibus signa, credebant. Homines quippe, quos unius, vel ut multum duarum linguarum fuisse noverant, repente linguis omnium gentium loquentes mirabiliter audiebant. Act. ii. Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Christi nomine post quadraginta annos incolumem constitisse: sudaria de corporibus eorum ablata sanandis profuisse languentibus: in via qua fuerant transituri positos in ordine innumerabiles morbis variis laborantes, ut ambulantium super eos umbra transiret, continuo salutem solere recipere: et alia multa stupenda in Christi nomine per eos facta, postremo etiam mortuos resurrexisse cernebant. *Ibid.* iii. iv. Quae si ut leguntur gesta esse concedunt, ecce tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus: et ut credatur unum incredibile, quod de carnis resurrectione atque in caelum ascensione dicitur, multorum incredibilium testimonia tanta congerimus, et nondum ad credendum horrenda duritia incredulos flectimus. Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit. » Huc usque Augustinus.

Dico III. **Gloriosa resurrectio Iesu a mortuis eius divinam missionem certissime demonstrat.** Sequitur aperte e duplici assertione superiori. Nam resurrectio carnis, si quod aliud, est miraculum proprie dictum. Continet quippe manifestissime derogationem legum naturalium, in quo vita est propria ratio miraculi [*Med. Sp.* 596. 606]. Nam, ut ante tenuimus [pag. 22], constantissima et notissima lex naturae est illa, secundum quam corpus non vivificatur naturaliter vita praesertim humana, nisi per naturalem generationem: quae cessante generatio nulla est in resurrectione. Corpus penitus mortuum est prorsus ineptum vitalibus operationibus exercendis: quin idcirco homo mortuus quod organorum suae propriae operationi exercendae evadit ineptus. Non potest igitur naturaliter vivificari: natura enim formam non inducit nisi in subiectum dispositum. Iesu etiam, ut ante notavimus, suam a mortuis resurrectionem praedixit apertissime est vaticinatus: quin ad illam appellavit ut ad certissimum sigillum divinae missionis quam ipse praedicabat. Habemus itaque in una Christi resurrectione maximum miraculum, vaticinium quoque vere propheticum, atque utrumque per se ordinatum ad divinam eius missionem comprobandam. Iesus itaque est re ipsa a Deo missus ut viam salutis nos edoceret, atque ideo a toto humano genere omnino audiendus.

THESIS V.

Tota vita Iesu, prout in Evangelio descripta legitur, ineluctabile suppeditat pro sua divina missione argumentum.

Probatio. Ut enim ante exposuimus [pag. 22], Iesus apertissime se exhibuit ut Messiam divinum primumque qui viam salutis universum humanum genus edoceret. Si itaque hoc testimonium, quod Iesus de se ipse

est verum, ergo Iesus vel ipse fuit deceptus et hallucinatus, existimans se missionem habere quam nullatenus haberet, vel ipse de industria totum humanum genus decipere voluit: falsitas enim in testimonio ex hoc duplici capite contingit. Prior hallucinatio, in re de qua agimus, dementis est: altera deceptio Iesum efficeret maximum, si quis alius unquam fuit, impostorem. Atqui utraque haec hypothesis manifeste excluditur ex ipsa vita Iesu, prout in Evangelio descripta legitur. Nam tale perhibet exemplar sanctitatis, quale nullatenus inveniri potest, neque in impostore, neque in eo qui sui compos non sit.

I. Exemplar sanctimoniae, quod tota vita Iesu exhibet, est ab omni naevo liberum ac nulla ex parte deficiens. Nihil unquam in eo reprehendere potuerunt adversarii, licet id maxime voluerint. Quibus propterea ipse aiebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. viii. 46. Si quis oculos paulisper coniecerit in Evangelium, nulla est virtus cuius perfectissima specimina in vita et morte Iesu non perspexerit.

II. Hoc praeterea exemplar est omnibus accommodatum, ita ut nulla hominum classis et conditio in eo non reperiat quod non possit, nedum mirari, sed etiam imitari. Quae res procul dubio est omnino singularis. E ceteris quippe hominibus qui laudari solent, nemo invenietur qui sit omnibus imitabilis.

III. Tandem, in vita, passione et morte Iesu omnes contemplamur excellentissimum typum sanctitatis amabilissimae, quae omnes trahat, neminem repellat. Quod quidem maxime apparet in illo universali, efficaci et tenerrimo amore, quem ubique spirat erga homines, etiam inimicos, ingratos et perversos.

Quae omnia ita sunt perspicua, ut impii etiam, quamvis cetera carpant et calumnientur quae in Evangeliis leguntur, eximiam tamen sanctitatem Iesu ex ipsa evidentia rei coacti denegare non audeant, etsi maxime velint. " Quelle douceur, ait Rousseavius, quelle pureté dans ses mœurs, quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! Quelle présence d'esprit, quelle

finesse et quelle justesse dans ses réponses! Quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire, couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus-Christ; la ressemblance est si frappante que tous les Pères l'ont sentie, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il point avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutient aisément jusqu'au but son personnage, et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait, si Socrate, avec tout son esprit, fût autre chose qu'un sophiste. Il inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui l'avaient mise en pratique: il ne fit que mettre en leçons leurs exemples... Mais où Jésus-Christ avait-il pris chez les siens cette morale élevée et pure dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? Du seins du plus furieux fanatisme la plus haute sagesse se fit entendre, et la simplicité des plus héroiques vertus honora le plus vil de tous les peuples. La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on puisse désirer; celle de Jésus expirant dans les tourments, injurié, raillé, maudit de tout un peuple est la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate, prenant la coupe empoisonnée, bénit celui qui la lui présente et qui pleure; Jésus, au milieu d'un supplice affreux, prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. Dironsnous que l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente... Au fond c'est reculer la difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale: et l'Evangile a des charactères de vérité si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros. „ (*Emile*, liv. 4.)

THESIS VI.

Christianae religionis mirabilis per duodeviginti secula propagatio et conservatio uni supernae Dei virtuti adscribi potest.

Tertium caput argumentorum pro divina Christi missione. Petitur ex ipsa religione ab eo fundata. De hoc testimonio loquitur, Marc. xvi. 19, 20. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei. Illi autem* (Apostoli) *profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Item Apostolus Hebr. ii. 3, 4. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Hoc argumenti genus, quod eloquentissime evolvit Chrysostomus (Lib. *Quod Christus est Deus*), paucis et nervose ita perstringit B. Thomas. " Huiusmodi autem veritati, cui ratio humana experimentum non praebet, fidem adhibentes non leviter credunt, quasi *doctas fabulas secuti*, ut 2ª Petr. dicitur. Haec enim divinae sapientiae secreta ipsa divina Sapientia, quae omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quae sui praesentiam et doctrinae et inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea, quae naturalem cognitionem excedunt, opera visibilia ostendit, quae totius naturae superant facultatem; videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, caelestium corporum mirabili immutatione, et, quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione, ut idiotae et simplices, dono Spiritus Sancti repleti, summam sapientiam et facundiam in instanti consequerentur. Quibus inspectis, praedictae probationis

efficacia, non armorum violentia, non voluptatum promissione, et, quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem innumerabilis turba non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum ad fidem christianam convolavit: in qua omnem humanum intellectum excedentia praedicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia quae in mundo sunt haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium assentire et maximum miraculum est, et manifestum divinae inspirationis opus, ut, contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non subito, neque casu, sed divina dispositione factum esse, manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus multis ante Prophetarum praedixit oraculis, quorum libri penes nos in veneratione habentur, utpote nostrae fidei testimonium adhibentes. „ (1. *Cont. Gent.* c. 6.)

Probatio thesis. Ut vis allatae probationis plenius sentiatur, et more scholastico argumentum paulisper declaretur, tria haec in antecessum notentur.

I. Atque imprimis consideranda est ipsa difficultas per se inhaerens in hoc opere, h. e. christianae religionis propagatae et conservatae. Vel enim spectatur religio christiana in sua parte theoretica, vel in sua parte practica. Eius pars theoretica praecipue constat mysteriis, vere et proprie eiusmodi, quorum veritas remotissima est non solum a quavis perceptione sensili, sed etiam ab omnibus principiis humanae intelligentiae. Est autem difficillimum, in rebus eiusmodi, assensum eumque firmissimum et irreformabilem adhibere; quem tamen assensum christiana fides omnino exigit. Pars vero practica christianae religionis legem ab omni naevo liberam cunctis observandam proponit, quaeque bellum continuum indicit omnibus humanis cupiditatibus. Ad rem Augustinus. " Dicitur avaris: *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et aerugo exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque tinea, neque rubigo exterminat, neque fures effodiunt neque furantur: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* MATTH. VI. 19, 21. Dicitur luxuriosis: *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem; qui seminat*

in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Gal. vi. 8. Dicitur superbis: *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Luc. xiv. 11. Dicitur iracundis: *Accepisti alapam, para alteram maxillam.* Matth. v. 39. Dicitur discordiosis: *Diligite inimicos vestros. Ibid.* 44. Dicitur superstitiosis: *Regnum Dei intra vos est.* Luc. xvii. 21. Dicitur curiosis: *Nolite quaerere quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt.* 2. Cor. iv. 18. Postremo dicitur omnibus: *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt; quoniam omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio seculi.* 1. Ioan. ii. 15, 16. „ (*De Vera Religione*, c. 3.) Atque haec persuadenda iis, qui plane erant inepti ad doctrinam adeo sublimem amplectendam, et vitam adeo sanctam degendam: obstabant enim infiniti propemodum et inveterati superstitionis errores, et corruptissimi populorum mores. Ipsi Iudaei, qui religionem divinitus revelatam acceperant, ceremoniis externis per Moysen acceptis tenacissime ita adhaerebant, ut ad eas dimittendas difficillime persuaderi poterant: praesertim cum ex praeconcepta opinione de Messia, ceu temporali rege potentissimo, a Iesu humili et paupere necessario abhorrebant. Quocirca exclamat Apostolus: *Praedicamus Christum crucifixum: Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* 1. Cor. i. 23. Cf. Chrysostomum in h. l.

II. Secundo perpendenda est insufficientia mediorum naturalium ad opus adeo salebrosum perficiendum. Nonnisi pauci Christi discipuli tantum opus sunt aggressi, iique rudes, ignobiles, sine armorum vi aut eloquentiae fastu, sed simplici veritatis praedicatione et una pollicitatione praemiorum futurorum. Quare Apostolus, 1. Cor. i. 25 sqq. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt,*

ut ea quae sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei. Haec naturalium mediorum infirmitas in immensum est aucta ex oppugnatione sacerdotum gentilium, philosophorum, imperatorum, haereticorum, mahommedanorum, falsorum fratrum, qui omni armorum genere, vi, scientia, opibus, fraudibus, morum corruptione, etc. religionem christianam semper et constanter destruere conati sunt et conantur. A qua impugnatione nulla regio, nullum dogma, praeceptum aut institutum fuit immune.

III. Tandem perpendendus est exitus Apostolicae praedicationis in tanta rerum difficultate, mediorum infirmitate atque acerrima hostium oppugnatione. Iam prima Petri oratione conversae fuere ad fidem anime *circiter tria millia.* Act. II. 41. Altera oratione autem eadem die eiusdemque Petri: *Multi eorum qui audierunt verbum crediderunt: et factus est numerus virorum quinque millia.* Act. IV. 4. Addit vero idem Lucas, postquam narraverit punitionem Ananiae et Saphirae: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis: ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum et mulierum, ita ut in plateas eiicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem multitudo vicinarum civitatum Ierusalem, afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes.* Act. V. 12. sqq. Neque his tantum primis diebus a die Pentecostes christianae religionis propagatio constitit. Nondum enim elapso decennio a morte Iesu, Petrus 1am suam Ep. mittebat Roma *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bityniae.* Sub Domitiano in insula Patmos Ioannes scribebat *septem Ecclesiis, quae sunt in Asia, Epheso et Smyrne et Pergamo et Tyatirae et Sardis et Philadelphiae et Laodiciae.* Apoc. I. 11. Tertullianus mortuus an. 245 ita scribere non dubitavit. " Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, pala-

tium, senatum, forum: sola vobis relinquimus templa. „ (*Apolog.* c. 37.) Et alibi. " In quem enim alium universae gentes crediderunt nisi in Christum qui iam venit? Cui enim et aliae gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitae, et qui inhabitant Mesopotaniam, Phrygiam, Cappadociam; et incolentes Pontum et Asiam et Pamphyliam, immorantes Aegyptum et regionem Africae, quae est trans Cyrenem, inhabitantes? Romani et incolae; tunc et in Hierusalem Iudaei, et ceterae gentes; ut iam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines; Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dracorum, et Germanorum, et Scytharum; et abditarum multarum gentium; et provinciarum, et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat; utpote ante quem omnium civitatum portae sunt apertae, et cui nullae sunt clausae: ante quem serae ferreae sunt comminutae, et valvae aereae sunt apertae. „ (*Adv. Iudaeos*, c. 7.) Accedit demum tota Historia Ecclesiae usque ad nostram aetatem, ex qua factum huius mirabilis propagationis et conservationis christianae religionis ita fit manifestum, ut neque increduli illud denegare ausi fuerint. Quae victoria christianae religionis non est res quaedam fucata et apparens, sed totum hominem totamque societatem immutavit, ut innumerabilis multitudo Sanctorum cuiusvis conditionis declarat, qui per duodeviginti saecula ubique floruerunt et christianum nomen illustrarunt.

Ex quibus omnibus facile colligitur, christianam religionem esse opus vere divinum, adeoque sanctum et ab omni falsitate immune. Quae quidem collectio dupliciter constat. Primum, quia, praeter virtutem omnipotentem Dei altissimi, nulla alia causa proportionata adduci potest ad tantum effectum explicandum, prout notavit Gamaliel in concilio Pharisaeorum, Act. v. 34 sqq. Quod evidentius fit, si quis comparet propagationem Christianae Religionis cum propagatione Mahummedanismi aliarumque sectarum humanarum. Maxime enim differunt latitudine et dura-

tione, differunt mediis, differunt exitu, ut quisque per se ipse facile ponderare poterit. Conf. S. Thomam loc. cit. Secundo deducitur eadem conclusio eo quod haec mirabilis conversio totius mundi ab idololatria ad Deum, et a vitiorum coeno ad virtutis sanctimoniam, fuit multis ante seculis praedicta, ut patet ex vaticiniis quae ante citavimus. Item ex vaticiniis quae de eadem re Iesus pronuntiavit, MATTH. VIII. 11.; X. 17 sqq.; XVI. 18.; XXVI. 13.; XXVIII. 19, 20.; LUC. XXI. 12 sqq.; ACT. I. 8. Haec autem vaticinia sunt rei maxime contingentis, quippe quae ab una libera voluntate sive Dei sive hominis pendet: sunt praeterea plenissime impleta. Ergo vaticinia haec habenda sunt ut prophetiae veri nominis, atque adeo oracula vere divina. Iisdem autem oraculis una Dei virtus exhibetur ut propria causa tanti operis. Ergo reipsa unus Deus habendus est auctor christianae religionis.

THESIS VII.

Ingens Martyrum numerus invictaque eorum in tormentis constantia testimonium exhibet maxime authenticum Christianae Religionis quam sanguine suo irrigarunt.

Explicatio thesis. Quamvis argumentum quod modo proponimus per se contineatur in eo quod in superiori thesi vindicavimus, specialem tamen considerationem meretur, quia ipsum per se inspectum propriam quamdam vim sibi vindicat ad luculentissimum testimonium exhibendum divinitatis Christianae Religionis. Ex quo ipsum nomen martyrii, gr. μαρτύριον, lat. *testimonium*, est deductum. Est autem diligenter observandum, huius argumenti efficaciam non in eo tantum esse positam, quod complures aut etiam multi usque ad sanguinis effusionem doctrinam aliquam profiteantur. Non enim hoc est signum per se sufficiens veritatis aut testimonii divini: siquidem

istiusmodi perseverantia potest quandoque oriri ex animi pervicacia aut obstinatione aliove humano motivo. Idcirco inquit Augustinus. " Multi haeretici, nomine christiano animas decipientes, multa talia patiuntur, sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantum, *Beati qui persecutionem patiuntur*, sed additum est, *propter iustitiam*. Ubi enim vera fides non est, non potest esse iustitia. „ (*De sermone Domini in monte*, lib. 1. c. 5.) Quoniam vero hoc ipsum est quod oportet discernere, quandonam sanguinis effusio sit reipsa propter iustitiam atque adeo sit argumentum verae fidei, idcirco spectanda sunt adiuncta peculiaria in quibus christiani martyres mortem oppetierunt. Atque imprimis perpendenda est multitudo plane innumerabilis martyrum christianorum omnis aetatis, sexus, conditionis, nationis, et ad nostra usque tempora serie non interrupta, ut ex tota historia sive profana sive ecclesiastica constat. Praeterea, perpendendus est modus patiendi et moriendi. Ex una parte poenis afficiebantur quaesitissimis, ex alia vero ipsi non solum aequo animo, sed etiam summa laetitia patiebantur, quin, ut scribit Sulpicius (*Sac. Hist.* lib. 2.), certatim in gloriosa certamina ruebant, *multoque avidius tunc martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur*. Notanda sunt etiam egregia specimina excellentissimarum virtutum, quae in passione sua exhibebant, animi tranquillitatis, humilitatis et modestiae, salutaris timoris ex cognitione propriae infirmitatis, fiduciae et reverentiae in Deum, etc. *Quomodo ampullae unguentorum*, ait Augustinus, *quanto magis frangebantur, tanto amplius odor diffundebatur*. (Serm. 273. n. 5.) Adde etiam responsa sapientissima et argumenta plusquam humana suae fidei quae saepe reddebant, nec solum viri, sed etiam feminae, nec solum docti et provectae aetatis, verum etiam rudes et pueri. Tandem, ut saepe considerant Patres, tantum abest ut ex tanta saevitia exercita in christianos eorum numerus imminueretur, quin potius hac de causa mirum in modum augebatur. Unde illud Martyrum elogium traditum a Leone M. *Singula grana, quae in terram cadebant, multiplicata enascebantur*. (Serm. 1. *De Apostolis Petro et*

Paulo.) Quamobrem Tertullianus: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum.* (*Ap.* c. 50.)

Probatur thesis. Si martyrium christianorum in iis adiunctis spectetur quae proxime indicavimus, est testimonium plane idoneum et certum veritatis et divinitatis Religionis pro qua sanguinem fuderunt. Nam

I. Se manifestissime prodit uti actum excellentissimae et supernaturalis fortitudinis. Longissime enim abest a quovis indicio furoris fanatici, obstinatae pertinaciae, vanae gloriae, aliarumque consimilium causarum naturalium, e quibus subinde oritur eorum perseverantia qui etiam pro errore quandoque mortem obierunt. Praeterea, tanta fortitudo, qualis apparet in martyribus christianis, spectata infirma communi hominum conditione, humanas vires moraliter excedit. " Cum quis, ait Hieronymus, viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri et in suis cruciatibus gloriari, subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei. „ (Ep. 120 *ad Hedibiam*, c. 10.)

II. Tale martyrium perspicue manifestat intimam et certissimam persuasionem in martyribus de veritate et divinitate Christianae religionis. Neque enim sine tali convictione tot homines, in tot cruciatibus, et tot seculorum serie non interrupta morti se tradidissent. Undenam autem haec talis et tam firma persuasio oriri potuit? Non certe ex fanatico furore aliisque causis erroris, quae iudicium humani intellectus solent corrumpere. Nulla enim istiusmodi causa hactenus assignari potuit quae proportionata esset ad tam firmam et universalem persuasionem, falsam licet, in mente gignendam. Ergo vel orta est ex superna divina inspiratione, vel ex evidente credibilitate signorum quibus Christiana Religio ut manifestum opus divinum se exhibet, vel ex utroque capite simul. Atqui haec omnia sunt certissima criteria veritatis. Ergo etiam ex hac parte testimonium martyrum christianorum est ineluctabile argumentum veritatis.

III. Postremo, ut in superiori thesi meminimus, Christus suae religionis propagationem, incrementum et conservationem ita est vaticinatus, ut simul praedixerit futuras et continuas persecutiones, nec non discipulorum suorum constantiam, fortitudinem et victoriam. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit... Absque synagoga facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium praestare Deo... in mundo pressuram habebitis, sed confidite, Ego vici mundum...* Ioan. xv. 18.; xvi. 2, 33. *Ecce Ego mitto vos sicut oves in medio luporum... cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis... Ne ergo timueritis eos.* Matth. x. 16 sqq. Cum igitur haec vaticinia in martyrio christianorum sint plenissime et litteraliter impleta, etiam ex hac parte tale martyrium ut testimonium plane divinum est habendum, cuiusmodi esse diximus vaticinia eventu comprobata. Saepe etiam Deus apertis miraculis martyribus adfuit, ut ex authenticis actis ipsorum constat.

Cf. pro hac et superiori thesi Perrone (Praelect. theol. Vol. 1. *De vera Religione*, Part 1. n. 375.... 391, 403.... 411, 422... 438.)

THESIS VIII.

Consimile testimonium exhibent doctissimi et sanctissimi homines, qui religionem christianam quovis tempore sunt professi.

Probationi supponenda. Quae in hac et proxima thesi dicemus, mirifice complent tertium testimonium, sive argumentorum genus, quod religio a Christo fundata eius

divinae missioni demonstrandae suppeditat. Iam ut valeat probatio propositae thesis mox afferenda, duo ponimus, quae ceteroquin ex tota Historia Ecclesiastica certissime constant. Primum est multitudo plane innumerabilis eorum qui eximia morum integritate christianam religionem quavis aetate illustrarunt. Quam sanctitatem saepe Deus ipse luculentis prodigiis contestatus est. Id maxime evincitur et canonizationibus Sanctorum, quae summo iudicii rigore evidentiam exigunt sanctitatis et miraculorum praecellentiam probatissimam. Quae omnia frustra quis requiret apud sectas a christiana religione seiunctas. Alterum est series indisrupta Doctorum, quorum sapientiam in rebus divinis et morum vere eximiam nemo satis mirabitur, quique suis scriptis et orationibus religionem christianam et ab hostibus vindicarunt, et summo splendore declararunt. Quae laus etiam est exclusive propria Christiani nominis. Extiterunt quidem apud ethnicos, aliasve sectas huic nomini infensas, complures doctrina celebres, minime vero eam celebritatem sunt adepti in vera sapientia, quae scilicet circa Deum et morum honestatem versetur. Quae ipse Plato et Aristoteles his de rebus tradiderunt, vel sunt erroribus gravissimis admixta, vel sunt plane ieiuna, si comparentur cum sapientissima doctrina quae his de rebus apparet in immortalibus operibus Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Leonis M., Thomae Aquinatis, Bonaventurae, aliorumque Patrum et Doctorum qui ingenti numero omnibus seculis apud christianos floruerunt. Quibus positis, ita arguimus.

Probatio thesis. Sufficit in hanc rem exscribere verba Sfortiae Pallavicino: valent enim plurimum ad illam demonstrandam. " A tutti... è forza di confessare che i beni esteriori di questa vita non sono infallibile indizio della divina benevolenza, nè quel riservato sigillo col quale Iddio segna i suoi amici. Ma bensì n'è indizio infallibile l'accoppiamento della sapienza con la virtù. Il dimostro. In prima, un tale accoppiamento non può avvenire senza special protezione di Dio; essendo ciò il maggior bene che s'abbia in terra, e per cui più somigliamo lo stesso Dio: tanto che infin Aristotele, quasi mal suo grado, nel

confessò per autore, quando e in un tale accoppiamento egli pose l'umana felicità, e insieme affermò che se alcun bene deve riputarsi a noi donato da Dio, la felicità è desso, come quello che è il sommo di tutti i beni. E di vero, sarebbe follia il pensare che la vita e le altre doti inferiori, e comuni ad ogni barbaro, ad ogni stolto, ad ogni malvagio, ad ogni odievole e disprezzevole omaccio, fossero date altrui per grazia del Cielo; e l'inclita coppia della sapienza e della virtù si dovesse riconoscere o dalla cecità del caso, o solo dalla propria industria del possessore, il quale avesse il maggior bene da sè, i minori da Dio. Quindi segue che Iddio trarrebbe in inganno i mortali, se di questo suo preziosissimo beneficio e quasi gioiello ornasse coloro che non l'onorano e nol servono a suo grado, come a lui è dovuto e come da lui è voluto; e il negasse agli uomini di quella comunità che dirittamente e degnamente l'adora, e il cole. Senza dubbio, la verace religione deve poter essere comune a tutti, sol che sinceramente abbiano voglia di conoscerla e d'osservarla come dicemmo: e di questi tutti radissimi sono idonei a rintracciarla per intrinseche ragioni col proprio loro intendimento. Alla turba conviene seguire la guida autorevole di quei pochi, i quali, siccome dotti, non sono usi d'ingannarsi, e come buoni, non sono usi d'ingannare. Pertanto, se in queste due prerogative i cultori della religione falsa avanzassero quei della vera, gli altri seguaci della falsa potrebbero scusar sè, e accusare Dio che gli avesse posti in necessità di fallire. Ora, se l'Autore dell'universo con gli odori, coi sapori ha differenziati palesamente i cibi salubri e i nocevoli eziandio ai più vili animali; e se ha distribuite le altre sensibili qualità per indizi di ciò, che secondo natura, e fuor de' casi accidentali, suol riuscire ad utilità o a danno ne' corpi di ciascheduno; non sarebbe impietà l'avvisarsi che solamente nel sommo fra gli obbietti, o salutari, o mortiferi, quale è la religione retta, o la rea, abbia egli trascurata questa sua universale providenza? „ Et paulo inferius ita pergit. " La fede christiana, come abbiamo detto, avendo guerra bandita contro i due appetiti infe-

riori, nondimeno è stata posseditrice delle menti più sublimi e più dotte onde possa gloriarsi la specie umana. Così potrebbonsi annoverare tutte le stelle del cielo, come tutti gl'illustri dottori che furono appunto le stelle di questo mistico cielo della Chiesa... Più avanti, ci faremo a credere che l'ottimo Iddio abbia lasciati cadere nel più mortale degli errori i più virtuosi uomini della terra, quanto senza contrasto degli stessi infedeli sono stati i nostri santi, infiammati di carità verso Dio; affetto incognito alle altre leggi; e insieme di carità verso i medesimi nemici per suo amore; dispregiatori in grazia di lui di quanto diletto e di quanto martorio può dare il mondo; anzi giocondi e beati fra gli stessi martori più che gli altri fra i diletti, perchè ciò riputavano piacere di Dio? A chi dunque egli ha infuso un sì fino amor di se stesso, avrà negata la vera cognizione di se stesso, della sua legge, del modo con cui gli è a grado che altri l'onori, e per cui è dato il meritar da esso i più alti guiderdoni? Appena d'un tiranno bestiale potrebbe ciò venire in sospetto. „ (*Arte della perfezione cristiana*, lib. 1. c. 16.)

Opponet fortasse quispiam. Ut proxima ratiocinatio valeat, duo sunt ponenda. Primum, aliquam religionem esse veram, ex iis nempe quae ab humano genere in praesenti ordine divinae providentiae discerni possunt. Alterum, institutam esse a Deo aliquam religionem supernaturalem, quae multa doceat praeter illa, quae sunt iuris naturalis, eamque voluisse tamquam medium necessarium ad salutem. Atqui bina haec principia necdum probata dedimus.

Respondeo. *Dist. mai.* concedendo 1^{am} partem, negando 2^{am}, cum apposita *contradist. minoris.* Hoc quod homo, si per ipsum non steterit, cum ad usum rationis pervenerit, veram religionem cognoscere possit, iisdem argumentis constat, quibus freti in ipso limine huius tractationis supposuimus Deum esse, et specialem providentiam habere de rebus humanis. Cum enim vera religio homini, sive individuo, sive in societate existenti, magis necessaria sit quam aer quem aspiramus et cibus quo alimur, non sine magna impietate dici potest, Deum con-

didisse humanum genus tam necessario medio destitutum. Quod si semel ponatur aliquam religionem esse veram, haec illa profecto erit quam a recto rationis dictamine ut a Deo probatam certis signis agnoscimus, qualis procul dubio est Christiana religio, ut argumentum proxime propositum perspicue demonstrat. Si itaque in hac religione plura tradantur praeter ea quae iuris naturalis sunt, atque adeo illa supernaturalis esse deprehendatur, haec quoque omnia e recto rationis dictamine agenti firmissime sunt amplectenda, nisi superstitioso cultu Deum colere velit. Supernaturalitas itaque religionis non est principium quoddam supponendum ratiocinationi quam proxime adhibuimus, sed est quaedam conclusio quae ex comprobata veritate christianae religionis legitime consequitur.

Instabis. Etiam inter eos, qui christiani sunt nominis, plurimi inveniuntur plane hebetes in doctrina, ac perditissimi in moribus.

Respondeo. Etiam rudes et pueri inter christianos, si officia religionis quam profitentur paulisper sint edocti, sapientiores sunt ipso Aristotele et Platone, qui valde dubium controversumque est, utrum ipsum factum creationis agnoverint. " Nullus philosophorum, ait Angelicus, ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad vitam aeternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem, et ideo dicitur; *Repleta est terra scientia Domini*. Isai. xi. 9. „ (Opusc. *in expos. Symboli*, a. 1.) Ceterum argumentum ex celebritate Doctorum christianorum depromptum minime in eo nititur quod quotquot christianae religioni dant nomen, eo ipso aureolam Doctoris mereantur; sed in eo quod una Religio Christiana sapientissimos quosque homines asseclas habuerit, vera scilicet illa sapientia de qua locuti fuimus. Perditissimi autem illi homines, qui se christianos dicunt, non ex principiis religionis quam profitentur depravantur, sed propterea quia his principiis mores minime accommodant, secus ac contingit apud infideles. Neque hoc mirum esse debet. Nam divina Religio minime aufert liberum hominis arbitrium, ex cuius abusu mala moralia proficiscuntur.

THESIS IX.

Ipsa doctrina christiana in semet inspecta divinam Christi missionem mirifice confirmat.

Probatio. Hoc argumentum licet non omnibus sit accommodatum; siquidem complures inepti sunt ad sublimissimam sapientiam penetrandam quae in doctrina christiana continetur: est tamen in se firmissimum, et quae huc usque disseruimus mirifice confirmat. Ducitur ex triplici dote qua praefulget doctrinachristiana prae aliis quibuscumque placitis philosophorum quae hactenus celebrata sunt et celebrantur.

I. Atque imprimis perpendenda est absoluta puritas doctrinae Christianae, quam nemo potuit unquam, utcumque maxime conatus fuerit, de aliqua falsitate vel pravitate convincere. Quod quidem eius divinam originem reddit maxime credibilem. Quantum enim ratio humana sibi relicta valeat ad veritatem detegendam sine admixtione erroris, in iis praesertim quae ad Deum, naturam ac destinationem hominis, moresque pertinent, tristissima experientia tot seculorum satis edocuit. Etiam illi, qui quasi principes inter philosophos ethnicos suspiciuntur, in absurdos errores contra dignum Deo cultum et sanae ethices principia prolapsi fuerunt. Cf. Perrone (*De vera Religione.* Part. 1. Prop. 1 et 2.) Atque haec luculentius apparent, si spectetur latissima amplitudo obiecti christianae doctrinae. Nos enim instruit plenissime de natura et providentia divina, de origine rerum, de natura hominis eiusque destinatione, de omnibus quae ad honestatem et perfectionem morum spectant. Volumina Scripturarum, quae credenda proponunt, tantae sunt profunditatis, ut ipse Augustinus fateatur, se in eis quotidie profecturum, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conatus fuerit addiscere. (Epist. 137. *ad Volusianum.*) Quod

itaque in tanta multitudine rerum et doctrinarum nullus hactenus per tot secula error, nulla pravitas detecta fuerit, luculento testimonio est de re agi quae non ex hominis ingenio, sed a Deo sit profecta. Neque illud officit quod plura tradantur in doctrina christiana a naturali hominum captu remota. Aliud enim est *supra* rationem esse, aliud *contra rationem* esse. Quin ipsa ratio naturalis docet, Deum esse incomprehensibilem atque altioris ordinis prae omni creatura, et ideo altius et excellentius esse de illo sentiendum quam naturale lumen assequi possit. Quae autem christiana doctrina tradit de Deo et de moribus supra naturale lumen, omnia commendant excellentiam divinae maiestatis ac plurimum faciunt ad morum honestatem plenius et perfectius observandam. Praeterea, cum tota doctrina christiana eumdem habeat auctorem, ex summa congruentia cum rationis principiis, quam exhibet in iis quae naturaliter cognosci possunt, recte colligitur cetera etiam quae tradit, esse maxime credibilia, quamvis a naturali captu sint remota.

II. Altera proprietas doctrinae christianae est exsors eius excellentia, quae tanta est ut nulla eius ratio sufficiens assignari possit praeter divinam originem. Infinite superat philosophiam gentilem, plurima continet prioribus hominum opinionibus plane contraria; tam alta dogmata, tam insignia praecepta moralia, cum tanta certitudine et simplicitate tradit, ut nulla doctrina unquam ab hominibus inventa possit cum illa comparari. Est praeterea pro omni personarum conditione, rerum temporumque adiunctis ita composita, ut nulla sit persona, nullusque vitae status vel casus cui non plenissime consulat. Neque satis habet excolere unum hominis intellectum vel solam voluntatem, sed satagit instituere totum hominem, interiorem et exteriorem, individuum et socialem, ita ut undequaque pro sua vocatione et statu sit totus, non ex parte tantum, christianus.

III. Tertia tandem conditio doctrinae christianae est summa eius efficacia. Nam si spectetur in assensu fidei quem imponit, tamquam motivum exhibet divinam auctoritatem eamque tam manifestis signis credibilitatis con-

vestitam, *ut nullus hos contradixerit, nisi qui valde insanus et totus stupidus sit*, uti aiebat Chrisostomus. (Orat. *Quod Christus sit Deus.*) Efficacissima etiam exhibet motiva tum ad divina praecepta executioni mandanda, tum ad se retrahendum a transgressione, qualia sunt imprimis ipsa Christi legislatoris vita, iudicis omnipraesentia, poenarum praemiorumque aeternitas. Praeterea, media et auxilia exhibet uberrima et invicta, quibus innixi homines omnia possint, sive ut retrahantur a vitiis, sive ut ad culmen sanctitatis perveniant. Quae omnia non inania esse, ut placita philosophorum, sed effectum plenissimum consequuta esse et quotidie consequi, constat tum ex iis quae in superioribus tribus thesibus exposuimus, tum ex propria cuiusque experientia. Qui enim doctrinae christianae fide et opere se mancipat, continuo in se ipse sentit effectus plane mirabiles, animi quietem, studium virtutis, taedium rerum mundanarum, desiderium rerum caelestium, imminutionem passionum, augmentum virtutum, ac praecipue pacem illam quae exsuperat omnem sensum ita ut glorietur in tribulationibus.

Praestat hoc argumentum concludere pulcherrima illa B. Augustini apostrophe ad Ecclesiam Catholicam. Nihil quippe eloquentius et nervosius hac in re dici potest. Postquam proposuerit duplex praeceptum caritatis, in qua tota pendet christiana doctrina, ita pergit. " Merito, Ecclesia Catholica mater christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas; nullam nobis adorandam creaturam inducens cui servire iubeamur; et ab illa incorrupta et inviolabili aeternitate, cui soli homo subiiciendus est, cui soli rationalis anima cohaerendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens quod aeternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod maiestas una coniungit: sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat. Tu pueriliter pueros, for-

titer iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam ad coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines, primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis; mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus adhortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria. Iam vero cum haec humana dilectio inhaerentem uberibus tuis nutriverit, et roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum; ubi eius maiestas ex tanta parte, quanta homini dum terrae huius inhabitator est sufficit, aperire se coeperit; tantus caritatis ardor innascitur, et tantum divini amoris consurgit incendium, ut, exustis omnibus vitiis, et homine purgato atque sanctificato, satis apparet quam divine dictum sit; *Ego sum ignis consumens*, Deuter. iv. 24.; et, *Ignem veni mittere in mundum*. Luc. xii. 49. Quae duae voces unius Dei in duobus Testamentis signatae, sanctificationem animae concordi attestatione declarant, ut fiat aliquando illud, quod item in Novam Scripturam de Veteri assumptum est; *Absorpta est mors, in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors,*

contentio tua? 1. Cor. xv. 54, 55. Quod unum isti haeretici intelligere si valerent, nusquam profecto Deum nisi apud te, atque in tuo gremio, minime superbi et bene pacati venerarentur. Merito apud te divina praecepta late diffuseque servantur. Merito apud te bene intelligitur, quam sit gravius cognita quam incognita lege peccare. *Aculeus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex.* ibid. 56., quod gravius feriat et interimat contempti praecepti conscientia. Merito apud te visum est, quam sit sub lege operatio vana, cum libido animus vastat, et cohibetur poenae metu, non amore virtutis obruitur. Merito tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in summa continentia atque mundi huius incredibili contemptu etiam solitudo delectet. „ (*De moribus Ecclesiae Catholicae*, lib. 1. c. 30.)

THESIS X.

Factum christianae revelationis est evidenter credibile, atque adeo evidens quoque est obligatio qua homines ad fidem eidem exhibendam adstringuntur.

Probatur I. pars. Nam evidens credibilitas ex iis motivis constituitur, quae assensum mentis ita suadent in veritatem aliquam propositam, ut formido de oppposito, quamvis necdum evadat physice impossibilis, manifeste tamen appareat esse omnino stultam et prudente homine indignam. [*Pr. Ph.* 297.] Atqui motiva, quibus factum christianae revelationis comprobatur, communiter sunt eiusmodi. Constat hoc aperte ex iis omnibus quae huc usque disputavimus, sive seorsum, sive a fortiori si collectim sumantur. Profecto plane desperandum esset de inventione veritatis et religionis, atque adeo diffidendum de divina providentia, si, non obstantibus iis omnibus signis quibus veritas christianae religionis praefulget, prudens aliquod dubium de hac veritate subesse possit.

Ex quo vulgata illa sententia Richardi Victorini. *Cum omni confidentia Deo dicere possumus. Domine, si error est, a te ipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possunt.* (1. *De Trin.* c. 2.) Neque refert quod haec motiva, prout passim percipiuntur, non ea evidentia colluceant quae physice impediat quominus imprudens aliqua formido de veritate christianae religionis concipiatur. Hoc enim contingit quoque quoad alias veritates certissimas quae fundamentum sunt totius ordinis moralis et socialis. Ipsa Dei existentia, prout communiter apprehenditur, non eam evidentiam parit quae pervicacissimum quemque ita convincat ut de ea, licet velit, dubitare non possit. Praeterea, illud est sedulo notandum quod alibi exposuimus [*Pr. Ph.* 304], physicam possibilitatem dubitationis imprudentis, in ea re quam agimus, minime progigni ex eo quod motiva obiectiva, quibus factum christianae revelationis ostenditur, sint minus firma, neque ex se efficacia ad mentem perfecte convincendam, si perfecte penetrarentur, sed ex imperfecto modo quo communiter percipiuntur. Probationes enim quas attulimus, non sunt instar cuiusdam medii indivisibilis, ut fit in metaphysicis et mathematicis demonstrationibus, sed consurgunt ex pluribus et diversis quae simul habenda sunt prae oculis ut perfectam veritatis evidentiam gignant. Accedit altitudo mysteriorum quae credenda proponuntur: item eminens rectitudo et sanctitas morum quam christiana religio exigit, et humana sensualitas non exoptat.

Probatur II. pars. Sequitur aperte ex priore. Quoties enim Deus quidquam humano generi revelat, simul exercite saltem exigit ut ei credatur, sicuti etiam homo, praesertim superior, dum loquitur exigit nostram fidem. Atqui evidens est obediendum esse Superiori, maxime Deo, quoties prudenter dubitari non potest de eius mandato. Ergo evidens est obligatio credendi Deo loquenti, quoties de hac locutione prudens formido subesse non potest. Atqui de divina locutione, cui tota christiana religio nititur, nulla prudens formido concipi potest, ut demonstravimus.

Obiicies I. Si daretur evidentia quam ponimus, homines ad fidem cogerentur. Atqui experientia constat hoc esse falsum.

Respondeo. *Nego antec.* Quamplurimi fidem christianae revelationi non adiungunt, quia negligunt eam inquirere vel ponderare motiva quibus evidens eius credibilitas constituitur. Praeterea, aliud est iudicare evidenter christianam religionem esse credibilem, aliud ei reipsa fidem adhibere: neque ex priore iudicio etiam evidente haec fides necessario consequitur. Tandem quaecumque sit evidentia quae habeatur de facto revelationis, fides in mysteria revelata (fides, inquam, libera et salutaris) minime ex hac evidentia quasi conclusio ex principiis efficitur, sed libero voluntatis motu directe imperatur, ut ex tract. *De fide divina* suppono.

Obiicies II. Si dogmata christiana essent evidenter credibilia, essent etiam evidenter possibilia. Atqui consequens est falsum, ut patet in dogmate Trinitatis.

Respondeo. *Dist. mai.*; quatenus haec quoque possibilitas esset evidenter credibilis, *conc.*; quatenus haec possibilitas esset evidenter vera, *subdist.*; evidentia intrinseca, *neg.*; evidentia extrinseca, *trans.* Transmisimus hoc postremum membrum, quia passim non habetur evidentia veritatis de facto revelationis. Ceterum licet haec evidentia haberetur, non idcirco mysterium desineret esse mysterium: semper enim intrinsecus nexus praedicati cum subiecto maneret a captu humanae rationis maxime remotus. Quod etiam de ipsa eius possibilitate est dicendum.

Obiicies III. Si dogmata christianae religionis essent evidenter credibilia, ergo vel fide infusa et supernaturali, vel fide humana et naturali. Atqui neque est evidens ea credibilia esse fide infusa et supernaturali, neque est evidens ea esse credibilia fide humana et naturali.

Respondeo. *Nego rursus maiorem.* Disiunctio non est adaequata. Ut alicui evidenter constet dogmata christianae religionis prudenter posse et debere credi, minime requiritur ut reflectat in intimam naturam actus quo creduntur: sufficit enim ut ea sint credibilia ea fide quam homo adhibere potest.

Obiicies IV. Adversus dogmata christianae religionis obstant argumenta magni ponderis, quaeque evidenter solvi non possunt: ut sunt ex. gr. ea quae proponi solent contra mysterium Trinitatis et Incarnationis. Atqui non potest dici evidenter credibilis ea religio quae talibus argumentis oppugnetur.

Respondeo. *Dist.* 1^{am} p. *mai.* Adversus dogmata christianae religionis obstant argumenta magni ponderis, si absolute et in se spectentur, h. e. remota consideratione a motivis credibilitatis quibus ea religio splendet, *conc.*; si spectentur comparative ad haec motiva, *neg.* Cum enim mysteria christianae religionis excedant per se et simpliciter humanae rationis captum, si praecisione facta a divina revelatione considerentur, nec credibilia, immo nec probabilia existimabuntur. Posito autem quod divinitus revelentur, ipsa naturalis ratio dictat spernenda esse quaecumque in contrarium obstare possint. Deus enim multo plura scit quam quae imbecillitas nostrae mentis capere possit.

Dist. pariter 2^{am} p. *mai.*; evidenter solvi non possunt evidentia reflexa, *neg.*; evidentia directa, *subdist.*; quatenus non possit ostendi evidenter eorum falsitas, *conc.*; quatenus non possit ostendi evidenter eorum inefficacia ad demonstrandum quidquam quod christianae religioni opponatur, *neg. Cum enim fides*, ait S. Thomas, *infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.* (*Summa th.* 1. p. q. 1. a. 8.) Quoties igitur legitime constiterit quidquam esse divinitus revelatum, iam reflexe prudens quisque, sive rudis sive doctus, προληπτικῶς iudicare potest et debet vana esse quaecumque in contrarium adduci possint. Cf. Vatic. Const. *Dei Filius*, c. 4.

Obiicies V. Vix aliquis etiam doctus novit quae sint sectae christianae religioni appositae et quae earum notae credibilitatis. Atqui hoc noscendum foret ut christiana religio esset evidenter credibilis.

Respondeo. *Trans. mai. Neg. min.* Quemadmodum quis ut certum assensum adhibeat alicui veritati, minime

exigitur ut noverit omnes modos quibus ab illa deviatur et deviari potest; ita potest quis de divinitate religionis christianae esse certus, quamvis necdum sciat quot fuerint aut sint sectae quae illi opponantur. Ceterum sectas christianae religioni adversas quisquis mediocriter doctus satis agnoscit sub generica ratione *Paganismi*, *Theismi*, *Mahumetismi et Iudaismi*: in quibus singulis non solum nulla est nota credibilitatis, sed manifestissima apparent iudicia perversitatis.

Summa christianae demonstrationis.

Pro coronide totius demonstrationis quam superioribus thesibus confecimus, praestat adiungere locum, etsi paulo longiorem B. Augustini ex Ep. 137. al. 3. ad *Volusianum*, quo mirifice et summatim perstringit omnia fere quae disputavimus.

" Quem non moveat ad credendum tantus ab initio ipse rerum gestarum ordo, et ipsa connexio temporum, praeteritis fidem de praesentibus faciens, priora posterioribus et recentioribus antiqua confirmans? Eligitur unus ex gente Chaldaeorum, pietate fidelissima praeditus, cui promissa divina post tantam seculorum seriem novissimis temporibus complenda prodantur, atque in eius semine omnes gentes habiturae benedictionem praenuntiantur. Gen. xii. 2. Hic unum verum Deum colens universitatis creatorem, gignit filium senex, de coniuge quam spe pariendi penitus destitutam sterilitas aetasque iam fecerat. Propagatur ex illo numerosissimus populus, multiplicatus in Aegypto, quo illam stirpem ex orientalibus partibus promissis effectisque crebrescens dispositio divina transmiserat. Educitur ex Aegypti servitute gens valida, horrendis signis atque miraculis; pulsisque impiis gentibus, in terram promissionis perducta et constituta, regno etiam sublimatur. Deinde, praevalescente peccato, sacrilegis ausibus Deum verum, qui eis tanta beneficia contulerat, saepissime offendens, variisque flagellata cladibus, et prosperitatibus consolata, usque ad Christi incarnationem de-

clarationemque perducitur. Quem Christum, Dei Verbum, Dei Filium, Deum in carne venturum, moriturum, resurrecturum in caelum ascensurum, praepollentissimo suo nomine in omnibus gentibus dicatos sibi populos habiturum, inque illo remissionem peccatorum, salutemque aeternam futuram esse credentibus, omnia gentis illius promissa, omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia, templum, et cuncta omnino sacramenta sonuerunt.

" Venit et Christus. Complentur in eius ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia praeconia Prophetarum. MATTH. I. 25. Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo congregatos, ACT. II. 2, et hoc ipsum promissum orando atque desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto, loquuntur repente linguis omnium gentium, arguunt fideliter errores, praedicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad poenitentiam praeteritae culpabilis vitae, indulgentiam de divina gratia pollicentur. Praedicationem pietatis veraeque religionis signa congruentia et miracula consequuntur. Excitatur adversus eos saeva infidelitas; tolerant praedicta, sperant promissa, docent praecepta. Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abiectissimis, ex paucissimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur praeclarissima ingenia, cultissima eloquia; mirabilesque peritias acutorum, facundorum atque doctorum subiugant Christo, et ad praedicandam viam pietatis salutisque convertunt. Alternis adversitatibus et prosperitatibus rerum, patientiam et temperantiam vigilanter exercent: mundo declinante in extrema, fessisque rebus aetatem ultimam protestante, multo fidentius, quia et hoc praedictum est, aeternam civitatis caelestis felicitatem expectant. Atque inter haec omnia, contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit: evincit illa patiendo, et inconcussam fidem inter obsistentium saevitiam profitendo. Revelatae veritatis, quae diu promissis mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia quibus hoc figurabatur

templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per infidelitatem gens ipsa Iudaeorum, a sedibus extirpata, per mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet codices sanctos, ac sic prophetiae testimonium, qua Christus et Ecclesia praenuntiata est, ne ad tempus a nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis proferatur; ubi etiam ipsos praedictum est non fuisse credituros. Templa et simulacra daemonum, ritusque sacrilegi paulatim atque alternatim secundum praedicta prophetica subvertuntur. Haereses adversus nomen Christi, sub velamento tamen nominis Christi, ad exercendam doctrinam sanctae religionis, sicut praenuntiatae sunt, pullulant. Haec omnia sicut leguntur praedicta, ita cernuntur impleta, atque ex his iam tot et tantis quae restant expectantur implenda.

" Quae tandem mens avida aeternitatis, vitaeque praesentis brevitate permota, contra huius divinae auctoritatis lumen culmenque contendat? Quae disputationes, quae litterae quorumlibet philosophorum, quae leges quarumlibet civitatum, duobus praeceptis, ex quibus Christus dicit totam Legem Prophetasque pendere, ullo modo sint comparandae: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum tanquam teipsum?* Matth. xx. 37, 39. Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causae in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea quae diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, h. e. Deus et proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animae rationalis nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicae salus. Neque enim conditur et custoditur optime civitas, nisi fundamento et vinculo fidei, firmaeque concordiae, cum bonum commune diligitur, quod summum et verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui quo animo diligant occultare non possunt.

" Modus autem ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis! Ea quae aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque

doctorum: ea vero, quae in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi pauper ad divitem: sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promtis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodam modo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter et prava corriguntur, et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinae inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit aegrotando medicinam. „ Haec Augustinus.

DEMONSTRATIO CATHOLICA

THESIS XI.

Christus Iesus, ut salutiferum redemptionis opus perenne in terris efficeret, Ecclesiam suam aedificavit, quae sit societas proprii nominis, a veteri Synagoga, et a quovis politico coetu plane distincta.

Praenotandum I. *Ecclesia* vox graeca est, ab ἐκκαλέω, passiva significatione accepta, ac denotat *coetum evocatione coadunatum*. Usurpatur vel tropice pro loco ubi eiusmodi coetus coadunatur, vel proprie pro ipso coetu seu multitudine eorum qui ita evocantur. Quod quidem quandoque fit in malam, ut Ps. XXV. 5., plerumque vero in bonam partem, ut Ps. CXLIX. 1. Ecclesia in bonam partem accepta sumitur latius pro coetu eorum quos beneficio divinae vocationis verus Dei cultus et vera Dei cognitio indita divinitus utcumque coniungit. Ita complectitur Ecclesiam

tum triumphantem seu beatos etiam Angelos, tum patientem seu animas in purgatorio, tum militantem seu viatores homines in terris. Cf. S. Thomam (*Summa th.* 3. p. q. 8.). Angustius autem usurpata denotat coetum fidelium viatorum dumtaxat, quos nempe cognitio obscura fidei in hac vita coniungit partim secundum se coniunctione interna, partim secundum sui protestationem coniunctione externa. In hac postrema significatione trifariam rursus nomen Ecclesiae in sacris Litteris usurpatur, communiter, diminute, et simpliciter sive antonomastice. Communiter accepta complectitur omnes credentes in verum Deum in omni statu, Naturae, Legis et Gratiae, atque adeo Ecclesia Dei dicitur. Cf. Augustinum (Tract. 45. *in Ioannem*, n. 9.), Gregorium M. (Lib. 5. *Epist.* 18.). Diminute, cum addito videlicet particularis cuiusdam loci vel familiae, significat certum quemdam et determinatum coetum fidelium restrictum vel intra domum aliquam aut familiam, ut Rom. xvi. 3, 5., vel in una civitate ac dioecesi, ut 1. Cor. i. 1, 2., vel in integra provincia, natione aut regno, ut 1. Thess. i. 1. Hac ratione Ecclesia appellatur domestica, dioecesana, metropolitana, orientalis, occidentalis. Tandem, simpliciter et antonomastice sumpta, non significat nisi coetum Christifidelium, et complectitur tantum Christianos, saltem baptizatos, unde singulariter *Ecclesia Christi* vocatur. Appellatur *Ecclesia* potius quam *Synagoga*, quod est proprium nomen veteris Ecclesiae Mosaicae, quia, ut observat Augustinus in Epist. *ad Romanos*, Iudaei *quod carnales essent, pecorum more congregari dicebantur*, Christiani vero, *quod spirituales sint more creaturarum ratione praeditarum, evocari debeant.* Confer Franzelin (*De Ecclesia Christi*, th. 1, 2, 3.) Hac ultima significatione de Ecclesia loquimur.

Praenotandum II. Factum institutionis Ecclesiae per Christum ita est perspicuum, ut nulla prorsus tergiversatione negari possit, nisi quis fidem omnem Evangelio et scriptis Apostolicis negare velit. Solemniter promisit Christus Matth. xvi. 18.; *Aedificabo Ecclesiam meam.* Apostoli in omnibus suis epistolis Ecclesiam ex Iudaeis et Gentibus ab ipsis collectam Christi esse dicunt, qui *ipse*

dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi. Ephes. iv. 11, 12. Hanc Ecclesiam, teste Paulo Act. xx. 28., Christus *adquisivit sanguine suo*, ut sibi tanquam dilectissimam et gloriosam *sponsam* coniungeret. Ephes. v. 23 sqq. Quapropter neque haeretici huius facti veritatem denegare ausi fuerunt. Dicunt tamen quidam e recentioribus protestantibus, Christum eo tantum sensu habendum esse uti Ecclesiae institutorem, quod ab initio docuerit homines rectum modum colendi Deum uti Patrem caelestem, sectatores vero Christi postea necessitate adactos in externos quosdam coetus coaluisse, atque ita, elementis quibusdam socialibus ex veteri Synagoga, aut ex Romana republica aut ex philosophia graeca emendicatis, Ecclesiam sub forma quadam sociali humanae institutionis videri coepisse. Ex istiusmodi miscela, si ipsos audias, orta est Ecclesia Catholica, quae non solum a Christo fundata non sit, sed eiusdem institutioni penitus adversetur. Calumniam adeo gravem a matre nostra ut amoveamus, hanc et sqq. theses maiori qua poterimus simplicitate vindicabimus per gradus veluti quosdam. In thesi proposita tria tantum asserimus. Primum, Ecclesiam a Christo institutam esse uti *societatem veri nominis*, praecisione facta in praesenti a forma determinata πολιτείης sive administrationis qua instructam illam esse voluit. (1) Secundo, hanc societatem a Christo institutam, quamvis aliqua communia habeat cum veteri Mosaica Synagoga, ab ea tamen esse plane diversam. Tertio, multo minus eam haberi posse quasi consortium quoddam eiusdem rationis ac cetera consortia politica.

Probatio I. partis. Generatim proposita huc redit. Christus suae fidei sectatores ad se non vocavit, ut dispersi et inter se seiunctim vitam christianam viverent,

---

(1) Confer quae de communi societatis notione tradidimus in *Philosophia Morali*, partim Vol. I. Disp. IV. sect. VI., partim Vol. II. Disp. IV. sect. IX.

sed ita ut in unum quoddam corpus compactum et organicum coirent, et unam quamdam personam, moralem utique, efformarent. Atqui eiusmodi unitas non potest esse alia ab ea qua constat societas, prout societas est: neque enim aliter entia rationalia et per se subsistentia inter se iunguntur ad unum quoddam corpus compactum et organicum constituendum ac novam personam moralem efformandam. Ergo Christus suae fidei sectatores in unam quamdam veri nominis societatem ordinavit et coniunxit. Assumptio nota est ex terminis. Propositio manifeste ostenditur ex Evangelica et Apostolica doctrina dupliciter.

Argumentum I. Conficitur ex iis locis, in quibus haec Ecclesiae unitas expresse praedicitur et asseritur.

I. Atque imprimis ipsum Ecclesiae nomen, singulariter prolatum a solemni Christi promissione, *Aedificabo Ecclesiam meam*, hanc unitatem manifeste prodit. Si enim christifideles, quisque per se seiunctim ab alio, Christo obaudire deberent, nulla ratione coetum quemdam vocatione coadunatum efformarent, quae est propria significatio quam nomen Ecclesiae ingerit. Vox praeterea *aedificabo* exprimit turrim quamdam vel civitatem cuius singulae partes strictissimo vinculo inter se colligantur, cum praesertim ea turris seu civitas ex eadem Christi promissione nullatenus sit destruenda, *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

II. Hanc quoque unitatem praesefert prophetia quam per os Caiphae Spiritus Sanctus edidit. *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed, cum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi* **congregaret in unum.** Ioan. xi. 50.... 52. Quae verba plane excludunt separationem illam singulorum christifidelium quam protestantes comminiscuntur, sed plane significant eos ex Christi institutione congregandos esse in unam rem, seu in unum coetum: secus vere dispersi manerent, quod relatae Spiritus Sancti pollicitationi expresse contradicit.

III. Tandem hoc apertissimum est ex eximia illa ora-

tione quam Christus in ultima coena effudit pro unitate suae Ecclesiae. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus, ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut me dilexisti.* Ioan. xvii. 11 sqq. Quibus verbis Christus pro universa Ecclesia unitatem postulat eamque adeo eximiam et perfectam, ut assimiletur quoad eius fieri potest summae illi unitati quae existit inter Patrem et Filium in eadem natura divina, et praeclaram notam exhibeat qua mundus convincatur divinitatis suae missionis et Ecclesiae a se fundatae. Haec porro Christi oratio est prorsus absoluta atque adeo efficax iuxta illud Hebr. v. 7. *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Patet ex ipsa forma et modo orationis quae nullam conditionem subindicat. Hanc praeterea unitatem petit Christus ut in perpetuum fieret nota insignis et specialis suae divinae missionis. Ergo tam absoluta fuit eius voluntas in ea petitione, quam absoluta est quoad ipsam gloriam suae divinae missionis semper et ubique manifestandae.

Argumentum II. Ducitur e nominibus et similitudinibus quibus Christus et Apostoli hanc unitatem significant, explicant et ob oculos ponunt. E multis tria speciatim expendam.

I. Ecclesiam Christus appellavit *regnum suum.* In regno autem socialis unitas maxime apparet. Hoc Christi regnum in terris vaticinati sunt prophetae Isai. ix. 6 sqq. *Parvulus natus est nobis... Multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum.* Dan. ii. 44.; vii. 13, 14. *Suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: commi-*

nuet autem et consumet universa regna haec (quatuor sc. imperia mundana quae ibi numerantur) *et ipsum stabit in aeternum... Aspiciebam ergo in visione noctis et ecce eum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi et tribus et linguae ipsi servient: potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur.* Ad quae vaticinia respiciens Angelus, quando Christi nativitatem Mariae annuntiabat, dixit Luc. I. 31 sqq. *Ecce paries filium et vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* De hoc regno aiebat Christus, Matth. XXI. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* Illud assimilavit, Matth. XIII. vel agro in quo seminantur triticum et zizania, vel arbori in cuius ramis multae aves habitant, vel sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti. Item Matth. XVIII. 23 sqq. hoc regnum simile dicitur familiae regis in qua sunt servi boni et nequam; et Matth. XX. 1 sqq. exhibetur ut vinea cum multis operariis. Quae omnes similitudines valere non possunt nisi de regno Christi in hac terra, quod quidem usque ad mundi finem perdurabit, quando de hoc regno Angeli colligent omnia scandala, id est *eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.* Matth. XIII. 41.

II. Ecclesia, seu coetus Christifidelium, comparatur ad ipsum Christum ut *corpus ad caput.* Quae similitudo pulcherrime exhibetur Ephes. I. 22, 23.; IV. 11 sqq. *Omnia subiecit* (Deus) *sub pedibus eius* (Christi), *et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.... Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: ut iam non*

simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate. Hoc loco manifeste agitur de Ecclesia Christi in terra degente: huic enim dumtaxat convenire possunt omnia quae Apostolus enuntiat. Haec autem Ecclesia describitur ut unum quoddam corpus organicum, cuius singulae partes inter se arctissimo vinculo colligentur sub uno capite qui est Christus. Quam membrorum inter se colligationem idem Apostolus 1. Cor. xii. 12 sqq. rursus et uberrime declarat. Unitas igitur, qua ex Christi institutione constat Ecclesia, eximia esse debet, siquidem aemulari debet ipsam unitatem physicam et substantialem membrorum in humano corpore.

III. Ecclesia est *ovile* Christi, qui illud regit ut *pastor*. Quae similitudo, vi vocis, triplici ratione significat Ecclesiae unitatem, nempe ex unitate ipsius ovilis, sive aedificii vel septi in quo oves congregantur; ex unitate gregis in illo septo inclusi; et ex unitate pastoris. De hoc porro uno et unico ovili, cuius Christus sit pastor, et de quo Ezechiel vaticinatus est c. 34. per totum, loquitur ipse Christus Ioan. x. 1 sqq. *Amen amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves ipsum sequuntur, quia sciunt vocem eius; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.... Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.*

Probatio II. partis. Ut haec altera pars, de distinctione Ecclesiae Christi a veteri Synagoga, intelligatur, notandum est, duo esse genera institutorum in Mosaica

lege. Alia continent praecepta *moralia* quae per se necessaria sunt ad salutem. Haec certe permanent in Ecclesia Christi, in qua longe abundantior gratia exhibetur ad illa observanda quam quae dabatur ante Christi adventum. Alia vero dicuntur instituta *caeremonialia* vel *iudicialia*, atque haec propria erant populi Iudaici et ad politicam et religiosam externam Synagogae disciplinam pertinebant. Haec quoque iuris divini erant, sed ceteros populos non adstringebant, et pro tempore tantum ante Christi adventum Iudaeis erant imposita. De Synagoga, prout his institutis constabat, praesertim quae pro fine principali *typica* erant ad Christum venturum, valet id quod modo asserimus.

Haec porro distinctio Ecclesiae Christi a Synagoga constat imprimis e vaticiniis Prophetarum quae abrogationem totius veteris oeconomiae per Messiae adventum praedixerunt, ut in th. 1. ostendimus. Hoc ipsum Apostoli, ut narrat Lucas Act. xv., solemni definitione et praedicatione declararunt. Nominatim vero Paulus data opera id ostendit in tota Ep. *ad Galatas*, itemque compluribus capitibus in Ep. *ad Hebraeos*. Exigitur quoque ex ipsa rei natura. Nam propria vita veteris Synagogae erat *typica*, seu, ut ait Apostolus, Colos. ii. 17. *umbra futurorum*, cuius umbrae *corpus est Christus*. Ergo desinere debuit ipsius rei significatae adventu. " Si quaedam facta, inquit Augustinus, et celebrationes, quae figurae erant ventura praenuntiantes, adhuc a christianis fierent, nihil significaretur, nisi nondum venisse quae tum figuris praenuntiabantur. Quod enim adhuc venturum praenuntiatur, aut nondum venit, aut si iam venit, supervacue vel fallaciter praenuntiatur. „ (19. *Cont. Faustum*, c. 8.)

Speciatim vero his characteribus Ecclesia Christi a veteri Synagoga secernitur. Primum, Synagoga fuit ancilla, Ecclesia Christi est domina. Gal. iv. 31. *Non sumus ancillae filii, sed liberae*. Propterea Synagoga, quia erat ancilla, fuit repudiata: Ecclesia, cum sit domina, nunquam repudiabitur. De illa dicitur, Gal. iv. 30. *Eiice ancillam et filium eius*: de hac e contrario, Isa. liv. 4. *Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces*. Secundo:

Synagoga instituta fuit a Deo per servum suum Moysen; Ecclesia per ipsum Filium Dei unigenitum. Item Synagoga habuit Prophetas et Sacerdotes, per quos Deus populo loquebatur: Ecclesia habet ipsum Filium Dei incarnatum qui in propria persona locutus est nobis. Hoc discrimen maxime commendat Apostolus, Hebr. i. Tertio: Synagoga accepit a Mose nudam legem praecipientem: Ecclesia accepit a Christo legem praecipientem et gratiam adiuvantem. Ioan. i. 16, 17. *De plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Quarto: Synagoga fuit exigua et intra fines Palaestinae comprehensa; itemque non fuit mater omnium fidelium, sed tantum aliquorum, siquidem multi fideles extra ipsam salvabantur, ut Ninivitae. Ecclesia e converso est toto orbe diffusa, Marc. xvi. 15., Rom. x. 18., nec quisquam extra illam salvari potest, ut suo loco ostendetur.

Nec quidquam obest quod initio nascentis Ecclesiae (probabilius usque ad templi eversionem per Titum et Vespasianum) instituta legalia, non abnuentibus ipsis Apostolis, a quibusdam, maxime qui a circumcisione erant, observarentur, ut patet, Act. xvi. 3., xviii. 18., xxi. 20. sqq. Neque enim ita observari ea licebat, quatenus essent necessaria ad salutem, sed ob venerationem eorum originis et traditionis tot seculorum in populo Dei, vel ob rationes prudentis oeconomiae, ne scilicet, uti observat Augustinus, *per doctrinam Christi velut sacrilega, nec Deo mandante conscripta damnari putarentur, et ut ostenderetur nec Iudaeos tunc ab eis tanquam a nefariis prohibendos, nec gentiles ad ea tanquam necessaria compellendos.* (Epist. 82. n. 9.) Confer Franzelin (*De Ecclesia Christi*, th. 4.), item S. Thomam (*Summa th.* 1. 2ae q. 103, 107.).

Probatio III. partis. Distinctionem suae Ecclesiae a quovis civili consortio Christus perspicue asseruit illis verbis: *Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Ioan. xviii. 36. Quibus verbis minime significavit suam Ecclesiam esse extra hunc mundum vi-

sibilem, prout notavit Augustinus. " Non ait: *Regnum meum non est in hoc mundo*; sed, *non est de hoc mundo.* Et cum hoc probaret dicens: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis*: non ait, *Nunc autem regnum meum* non est hic; sed, *non est hinc.* Hic est enim regnum eius usque in finem seculi, habens inter se commixta zizania usque ad messem. Messis enim finis est seculi, quando messores venient, id est Angeli, et colligent de regno eius omnia scandala, MATTH. XIII. 38 sqq. Quod utique non fieret, si regnum eius non esset hic. „ (Tract. 115 *in Ioannem*, n. 2.) Sensus ergo huius testimonii est, Ecclesiam Christi non esse originis, atque adeo neque indolis mundanae, cuiusmodi sunt civilia consortia. Quod etiam satis significatur ipsis appellationibus quibus Ecclesia passim in Scripturis nominatur: dicitur enim *regnum Dei*, *regnum caelorum*, *civitas Dei*, *domus et templum Dei.* Quae quidem nullatenus conveniunt civitati mundanae et profanae.

Confirmatur, seu potius explicatur, asserta distinctio, si perpendantur singulae causae utriusque societatis.

I. Civilis societas procedit a Deo, ut naturae auctore, ac per se dirigitur una lege naturali vel humana. Ecclesia e converso habet immediatum institutorem Verbum Dei incarnatum, cuius divinis praeceptis et institutis tota constat. Quare quando Christus misit Apostolos ad suam Ecclesiam extendendam per totum mundum, ita ait. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes* ERGO *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* MATTH. ult.

II. Hinc finis proprius Ecclesiae spiritualis est et caelestis, atque adeo multo excellentior fine ad quem attingendum per se ordinatur quaevis humana societas. Quanquam enim Ecclesia mediis exterioribus et visibilibus utatur, ut propria hominis conditio fert, directe tamen ut proprium finem respicit interiorem hominis sanctificationem atque aeternam felicitatem vitae futurae. Quare Apostolus, ROM. VI. 22. *Nunc vero liberati a pec-*

cato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Et Tit. II. 12, 13, 14. *Abnegantes impietatem et secularia desideria sobrie et iuste et pie vivamus in hoc seculo expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Quibus verbis apparet finem Ecclesiae esse illud ipsum salutis opus quod Christus visibilis in terris inchoavit.

III. Si spectentur membra e quibus coalescit quodvis civile consortium, partem orbis determinatam occupant: hinc societates politicae multae esse possunt, ac reipsa inveniuntur. Ecclesia autem Christi est unica Christi sponsa, quae omnes complecti debeat homines ac nationes in unam eamdemque familiam, in unum idemque corpus, regnum atque ovile.

IV. Postremo, illud quod constituit quasi formam intrinsecam, a qua vivificatur hoc corpus Christi mysticum, est res plane supernaturalis, quemadmodum ipsa vita quam vivit Ecclesia. Haec vita enim est vita gratiae adoptionis filiorum Dei de qua Paulus Rom. VIII., 1. Cor. II., Eph. I. Ad hanc vitam divinam gignendam, conservandam et complendam ordinantur alia dona, et ipsa supernaturalia, quae Christus suae Ecclesiae providit, quaeque idem Apostolus enumerat 1. Cor. XII.

Corollarium. Ex propositis satis concludi potest Ecclesiam Christi esse societatem *perfectam*, prout alibi latius exponitur. Nam *perfectae societatis* nomine ea societas significatur, quae non sit pars alterius, quaeque idcirco non habeat finem ad alterius finem in eodem bonorum genere subordinatum. [*Ph. Mor.* 211.] Atqui talis est Ecclesia a Christo instituta. Nam ex iis omnibus, quae proposuimus, Ecclesia Christi manifeste se exhibet ut societatem ordinis plane altioris prae quavis alia societate mundana. Atqui quod est ordinis altioris minime concludi potest quasi pars inter ea quae sunt ordinis inferioris, multoque minus eorum fini subordinari. Confer quae dixi [*Ph. Mor.* 586 sqq.].

THESIS XII.

Ecclesia Christi ex sua institutione est societas indefectibilis et perpetuo visibilis.

Probatur I. pars. Facile demonstratur ex illis ipsis testimoniis quibus Ecclesiae institutionem in thesi superiori comprobavimus.

I. Ac primum quidem hanc suae Ecclesiae indefectibilitatem diserte praedixit et promisit Christus, quando dixit, MATTH. XVI. 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Hic aperte ostendit Christus suae Ecclesiae immotam firmitatem, quod vel validissimi et capitales hostes nihil adversus eam possint. Hi hostes appellantur *portae inferi*, quibus significatur tota potestas diabolica eorumque omnium qui diabolum quasi ducem sequuntur. Nam infernus a Christo exhibetur uti regnum vel civitas, MATTH. XII. 24 sqq. Potentia autem regni et civitatis repraesentabatur antiquitus symbolo portarum, eo quod portae essent munitissimae, et ad eas senatores et principes congregarentur ad consilia capienda et iudicia ferenda. (1) Eamdem promissionem iteravit parum ante ascensionem, quando dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* MATTH. ult. Ministerium itaque apostolicum perdurabit usque ad mundi finem, atque adeo Ecclesia quae hoc ministerio conservatur et regitur.

---

(1) Quaeri potest ad quod subiectum referri debeat pronomen *eam* in textu allato, utrum nempe ad *Ecclesiam*, an vero ad *petram*. Melius refertur ad utrumque, quasi dicatur: Portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam, utpote fundatam supra petram immobilem. Christus enim his verbis se exhibet tanquam architectum. De domo autem sapientis architecti ipse dixerat MATTH. VII. eam idcirco, orta tempestate, non corruisse, *quia fundata erat supra petram.*

II. Id quoque est apertum iis testimoniis, quibus Ecclesia exhibetur uti Christi *regnum* in terris. De hoc regno praedixit Isaias ix. 7. futurum esse regnum iustitiae *in sempiternum*. Ex Dan. ii. vii. erit regnum *quod non corrumpetur, quod in aeternum non dissipabitur et alteri populo non tradetur*, h. e. non succedet aut substituetur ei aliud regnum, sicut fuere quatuor illa regna mundana, quorum ibi fit mentio. Propterea Angelus Luc. i. 32, 33. dicitur de Christo: *Et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.* Et Christus ipse, Matth. xiii. 40, 41, 49, dixit suum regnum duraturum esse in terris quousque in consummatione seculi separabuntur omnes mali homines, qui vivunt in Ecclesia cum bonis, ut in suo regno non retineantur nisi iusti dumtaxat.

III. Ecclesia, ut ante ostendimus, est *corpus Christi*, Christus vero *caput* eius. Atqui corpus Christi nunquam peribit, sed debet continuo aedificari *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Ephes. iv. 13. Quod quidem non verificabitur nisi in fine mundi.

IV. Eamdem perennitatem ostendunt ea loca, quibus confertur Ecclesia Christi cum veteri Synagoga sive novum testamentum cum antiquo. Nam Apostolus Paulus praecipue confert Ecclesiam cum Synagoga in eo quod novum foedus non sit abrogandum, ut antiquum, sed futurum sit perenne et immobile. Propterea, citatis verbis Agg. ii. 7., ita prosequitur: *Quod autem* adhuc *semel dicit, declarat mobilium* (veteris testamenti) *translationem tanquam factorum, ut maneant ea quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam,* etc. Hebr. xii. 27. Quod etiam pulcherrime declarat, 1. Cor. xv. 20... 28, ubi exponitur initium Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

V. Confirmantur denique haec omnia duplici ratione, altera ex causa efficiente, altera ex fine Ecclesiae. Nam origo Ecclesiae non est humana, sed divina. Iam, uti Gamaliel arguebat, quando suos contribules a coniuratione contra Christi Ecclesiam avocabat: *Quoniam si est ex*

hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere. Act. v. 38, 39. Neque dici potest Ecclesiam a Deo quidem esse institutam, sed pro tempore determinato, ut vetus Synagoga. Nam, et haec est altera probatio, vetus Synagoga erat figura novi testamenti: figura autem tamdiu manere debet quamdiu adveniat quod in figura promittitur. Ecclesia autem instituta est ut per eam omnes homines ad fidem et salutem ducantur, neque ipsa est figura novae Legis futurae, sed futurae gloriae dumtaxat. Ergo manere debet quousque erunt homines salvandi, et quousque advenerit futura consummatio gloriae in altero Christi adventu.

Probatur II. pars. Quando affirmamus Ecclesiam a Christo institutam esse *visibilem*, sermo est de illa Ecclesia quae reipsa fuit a Christo instituta, eaque in concreto et in particulari, quatenus eis fruatur proprietatibus quibus certo mentis iudicio atque exterius etiam designari possit, non per se, sed quasi per accidens, eadem ferme ratione qua substantia videri dicitur, visis accidentibus, et vita hominis, visis operationibus. Novatores seculi XVI. concedunt quidem Ecclesiam Christi confuse sumptam esse hominum congregationem, atque adeo constare personis corporeis et visibilibus: inficiantur tamen posse a nobis certo mentis iudicio discerni in particulari congregationem illam hominum, quae vera est Christi Ecclesia, a Satanae congregationibus. Qua de causa in hoc commentum adducti fuerint, vide Franzelin (*De Ecclesia Christi*, Sect. 4. Praenotio historica). Prob. autem id, quod asserimus, auctoritate et manifesta ratione.

I. Primum id constat auctoritate Prophetarum. Huc facit c. xi. Isai. quod de Christo eiusque Ecclesia manifeste loquitur. Item c. liv. eiusdem Isai. quod de Novo foedere interpretatur Apostolus, Gal. iv. 26, 27. Adde c. lxi. cuius initium ipse Christus sibi attribuit, Luc. iv. 18., quodque cum cap. seq. manifeste continuatur, utpote de eadem re loquens. Haec legenti Ecclesia sine dubio exhibetur uti coetus ita in manifesto positus, ut oculos gentium non possit non percellere, quod significant ex. gr. verba illa, lxi. 9. *Germen eorum in medio populorum:*

omnes qui viderint eos cognoscent illos; quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. In eamdem rem Patres interpretantur, atque, ut videtur, ipse Christus, Matth. v. 14., alterum locum eiusdem Prophetae, II. 2.; *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Apposite Augustinus. " Numquid sic, ut digito lunam, ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? Nonne manifesta? Nonne tenuit omnes gentes?... Ecce mons implens universam faciem terrae, ecce civitas, de qua dictum est: *Non potest civitas abscondi supra montem constituta... Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini, paratus in cacumine montium.* Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt. Quis vestrum novit Olympum montem? quomodo ii, qui ibi habitant, Giddabam nostrum norunt? In partibus sunt isti montes. Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terrae, et de illo dicitur: *Paratus in cacumine omnium montium.* „ (In Ep. *Io. ad Parth.* tr. 1. n. 13.) Ita etiam Hieronymus, Chrysostomus et Cyrillus Alex. in h. l., Basilius (Comm. *in Isaiam*, n. 66).

II. Accedit auctoritas Christi et Apostolorum. Christus enim, Matth. xvi. Ecclesiam suam comparat arci supra petram aedificatae, *adversus quam portae inferi non praevalebunt.* Maxime autem adversus Ecclesiam potestas infernalis praevaleret, si ita nativum Ecclesiae splendorem, de quo ipse Christus, Matth. v. 15., posset obscurare, ut quae sit Ecclesia quam Christus fundavit discerni amplius non posset. Item Matt. xviii. fratrem incorrigibilem iubet denuntiari *Ecclesiae istamque audiri.* Atqui hoc praeceptum a nemine posset impleri qui Ecclesiam non cognosceret. Item Paulus Act. xx. 28. dicit positos esse Episcopos *ut regant Ecclesiam Dei*; et Ephes. iv. 11. *datos eos esse pastores et doctores*, ut ab iisdem instruamur, nec sicut parvuli fluctuantes *circumferamur omni vento doctrinae ad circumventionem erroris*; monetque 1. Tim. iii. 15. Timotheum, ut *sciat quomodo oporteat in domo Dei conversari quae est Ecclesia Dei vivi.* Atqui neque Episcopi possunt

Ecclesiam regere quam non cognoscunt, neque fideles possunt instrui ab Episcopis quos, utrum sint legitimi pastores et doctores, discernere non possunt.

III. Apparet tandem haec veritas ipso naturali dictamine rationis, posita Ecclesiae institutione sub forma societatis. Nam quaeque societas attemperata esse debet naturae individuorum qui ad illam conflandam accedunt. Atqui homines, utpote corpore et anima natura constantes, socialiter inter se coire non possunt nisi visibili quodam ligamine coniungantur. Quo facit illud Augustini. *In nullum nomen religionis verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur, quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum.* (Lib. 19. *Contra Faustum*, c. 11.)

Scholion. Ad recte intelligenda quaedam testimonia Scripturae, quibus protestantes abutuntur, confer Kilber (*De Principiis Theol.* n. 97, 106). Haec praeterea notentur.

I. Aliud est rem aliquam esse *spiritualem*, aliud vero eamdem esse *invisibilem*, ut patet in Scripturis divinis, quas protestantes minime inficiantur. Sunt enim libri maxime spirituales, qui tamen oculis leguntur et mente optime a libris profanis discerni possunt. Idem dicito de sacramentis. Quamvis igitur Ecclesia societas sit spiritualis, non idcirco invisibilis est dicenda. Appellatur autem *spiritualis*, tum ratione auctoris, tum ratione formae seu vitae qua vivit, tum ratione effectuum seu finis. Auctor enim et conservator Ecclesiae est Verbum Dei incarnatum eiusque virtus omnipotens. Vivit Ecclesia vitam divinam gratiae adoptionis filiorum Dei, cuius operatio et effectus maxime consistit in interiore animi cultura et reformatione.

II. Ecclesia triplici ratione respicitur a fide. Primum, per signa credibilitatis, quibus se manifestat, disponit ad credendum iudicio praevio requisito in intellectu ut fidei obsequium Deo praestitum sit rationabile. Huic iudicio, nedum contradicat, maxime congruit visibilitas Ecclesiae quam asseruimus. Secundo, ipsa tum quoad suam existentiam, tum quoad intrinsecam constitutionem qua ex Christi voluntate constat, spectat ad materiale obiectum

fidei, uti fatemur quando dicimus; *Credo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Etiam ex hac parte nihil detrahitur de Ecclesiae visibilitate. Nam visibilitas Ecclesiae, communiter loquendo, non suppeditat evidentiam veritatis, sive de hoc, sive de ceteris fidei articulis. Evidentia autem credibilitatis cohaeret optime cum obscuritate et libertate fidei. Praeterea, nihil vetat, quominus de una eademque veritate habeantur duo iudicia e diversis motivis, alterum evidens, in modum conclusionis, alterum non evidens in modum simplicis adhaesionis intellectus imperatae a voluntate: quod docuimus in tr. *De Fide.* Tandem, Ecclesia meritissimo accensetur inter regulas fidei, quatenus sua praedicatione nobis infallibiliter proponit divinam revelationem. Huic muneri non obstat Ecclesiae visibilitas. Nam etiam de hoc munere passim sola evidentia credibilitatis habetur. Praeterea, ut in eodem tr. *De Fide* cum Angelico docuimus, obscuritas et libertas fidei non excludit evidentiam veritatis *in attestante.* Optima analogia ad haec omnia explicanda desumi potest ex ipso Christo, quando nobiscum in sua carne visibili conversabatur.

III. Qui veram Christi Ecclesiam conflant dupliciter considerari possunt, divisim pro hoc aut illo in particulari, vel collectim pro toto eorumdem coetu. Si priori modo spectentur, non habetur ut plurimum nisi certitudo illa moralis late dicta, quae in re morum plane sufficit. Si alio modo spectentur, certum est et evidenter credibile, fide etiam divina, illum coetum esse Ecclesiam a Christo institutam. Ecclesiae namque visibilitas seu credibilitas non oritur ex visibilitate singulorum seorsum sumptorum, sed ex notis characteristicis verae Ecclesiae Christi quae in toto eorumdem coetu resplendent. Quae quidem distinctio etiam in aliis rebus contingit. Ita ex. gr. nequit existere verum matrimonium, interiori consensu detracto, sive intentione contrahendi. Nemo propterea inferret de nullo matrimonio legitimo constare, omnes filios esse spurios, et ita porro.

THESIS XIII.

Est in Ecclesia a Christo instituta ordo hierarchicus clericorum ex eiusdem Christi ordinatione a fidelibus ceteris seu laicis distinctus.

Status quaestionis. Priusquam thesis probetur, haec notentur.

I. Vox *ordo* frequenter usurpatur ad denotandum gradum quemdam seu dignitatem, quae ita pluribus competat, ut tamen sit illis propria eosque a ceteris secernat. Ita dicitur, concreta significatione, ex. gr. *ordo equestris*, *ordo senatorius*. Ita etiam in praesenti coetum integrum ministrorum Ecclesiae, quibus munia sacra sunt commissa, vocamus *ordinem*. Hic porro ordo *hierarchicus* nuncupatur, ut sacra potestas divinitus concessa ad illa munia exercenda significetur. *Hierarchia* enim sive *sacer principatus* eiusmodi potestatem denotat. Quae rursus bifariam dispescitur. Prior ad sacrificii oblationem et sacramentorum confectionem administrationemque refertur, in quibus gratia salutaris divinitus confertur. Haec vocatur potestas *ordinis*, quia per sacram ordinationem confertur, ut docetur in tr. *De sacramento Ordinis*. Altera dicitur potestas *iurisdictionis*, et ad eam spectat christianum populum instruere ac gubernare, ut per rectam fidem et mores christiano nomine dignos divinae gratiae cooperetur et ad caelestem beatitatem perducatur. Nos in praesenti totam hanc hierarchicam potestatem universim spectamus in coetu integro ministrorum Ecclesiae qui ea fruuntur, quatenus hic coetus a ceteris fidelibus distinguitur. Nempe non quaerimus, utrum in hac ipsa hierarchia unus gradus differat ab altero et quo iure; sed utrum totus hierarchicus ministrorum Ecclesiae ordo sit ex ipsa Christi instituentis ordinatione a ceteris fidelibus plane

distinctus. Ex quo patebit, utrum Ecclesia a Christo instituta sit in modum societatis aequalis vel inaequalis.

II. Divisio fidelium in *clericos* et *laicos* a primis Ecclesiae temporibus in usu loquendi fuit usurpata. Cum enim ministri deputati ad sacra munia obeunda segregentur a communi plebe christiana et singulari modo Deo dicentur, propterea vocantur κλῆρος (κληρικοί), i. e. sors Domini, ut Levitae V. T. Num. VIII. 13, 14. Huic ordini simplices fideles ut λαός (λαϊκοί) opponuntur, qui interdum etiam ἰδιῶται, h. e. homines privati, vocantur. Apposite Hieronymus. " Clericus, ait, interpretetur primo vocabulum suum, et, nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος graece, *sors* latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est. „

III. Capitale protestantium systema illud est, quod ex parte sec. XIV. a Marsilio Patavino et Ioanne de Ianduno praeformatum, deinceps Lutherus (Lib. *De captiv. Babyl.*) perfecte construxit et absolvit: Ecclesiam a Christo esse institutam sub forma societatis plene aequalis seu democraticae. Quocirca sacrorum potestas omnibus fidelibus in communi est concessa, nec nisi ex consensu et delegatione ipsorum a pastoribus exercenda. Quos itaque vocamus Ecclesiae Pastores, non sunt Christi ministri, sed populi, in quem nihil principatus et imperii exerceant, sed ministerium nudum sive exercitium ab eodem populo eis delegatum. Nonnulli protestantes ex hoc systemate eatenus recesserunt, quatenus potestatem in sacra non in omnibus fidelibus, sed cum summo imperio magistratus politici ex natura rei consociatam esse effutierunt, a quo ministris ceteris delegetur. Adversus hanc errorum farraginem in proposita thesi concertandum. Licet autem initio praestituere quod et ex scriptis apostolicis est plane manifestum, et adversarii facile concedunt, divisionem aliquam existere fidelium in praepositos et subditos. Paulus Rom. XII. 4, 5., 1. Cor. XII. comparat coniunctionem fidelium cum corpore organizato, cuius omnia membra *non eumdem actum habent*, sed alia dirigunt, alia exequuntur. Ita in Ecclesia sunt, quorum munus est

docere, exhortari, praeesse (προϊστάμενοι) in sollicitudine. Hebr. xiii. 7, 17. *Mementote praepositorum* (ἡγουμένων) *vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei... Obedite praepositis vestris et subiacete iis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Praepositis vero ipsis dicitur 1. Petr. v. 2, 3. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque uti dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo...* Quaerimus igitur quo iure haec divisio sit admittenda, utrum ex humano placito, an divino ex ipsius Christi instituentis ordinatione. Primum adversarii, alterum nos asserimus.

Probatur thesis. Tria sunt potissima argumenta. Primum, ex analogia V. T. Alterum, ex constitutione Ecclesiae Christi in aevo apostolico. Tertium, ex traditione subsequenti usque ad rebellionem protestanticam. Quibus suffragium quoque rectae rationis in fine addemus.

Argumentum I. Vetus Testamentum erat figura imperfecta Novi Testamenti, quemadmodum Synagoga antiqua Ecclesiae per Christum instituendae. Quod data opera ostendit Apostolus, 1. Cor. x., Hebr. vii. viii. ix. Quae itaque non ad imperfectionem, sed ad gloriam spectant Veteris Foederis et Synagogae, ea excellentiori modo inveniri debent in Ecclesia Christi, ut idem Apostolus concludit 2. Cor. iii. 7, 8. dicens: *Si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria... quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Iam vero hoc ad gloriam et excellentiam Veteris Foederis et Synagogae spectabat, ut sacerdotium et ministerium sacrorum uni Leviticae tribui divinitus reservaretur, nec cuiquam alteri licitum esset haec munia usurpare. Propterea speciali ratione Levitae dicuntur esse Domini sors seu haereditas, Num. iii. 5 sqq.; speciali ritu erant consecrandi, Ex. xxix. Num. viii. 13. Quin ipse Dominus eorum sors seu haereditas fuisse dicitur, Deuter. xviii. 2. Hinc Saul reprobatus est, 1. Reg. xiii.; Ozias lepra percussus, 2. Par. xxvi.; Core, Datan et Abiron terra fuere absorpti, Num. xvi. Ergo,

nisi velimus dicere gloriosius fuisse sacerdotium et ministerium sacrorum in Veteri quam in Nova Lege, contra expressam doctrinam Apostoli, consimilis distinctio ex divino iure profluens inter Ecclesiae ministros et ceteros fideles est concedenda. Comparatio hierarchiae Ecclesiasticae cum hierarchia levitica frequens est apud Patres. Ita Clemens Romanus (Ep. *ad Corinthios*), Hieronymus (Ep. 46.), Leo M. (Serm. 59.).

Argumentum II. In Ecclesia aevi apostolici tam perspicua est distinctio, quam propugnamus, ut recentiores protestantes complures eam inficiari non audeant, et ideo fingunt statum Ecclesiae primitivae sive apostolicae fuisse *extraordinarium*, qui cum morte Apostolorum cessaverit. De hac ultima assertione mox iudicabimus. Interim accipimus quod concedunt et negare non possunt. Quod quidem ita fit manifestum.

I. Christus ipse cum se probaverit, sive ex doctrina veterum Prophetarum, sive ex manifestis signis divinae virtutis quae exhibebat, uti Messiam a Deo missum ad humanum genus in via salutis edocendum, plenam *fidei obedientiam* postulabat in suam doctrinam sub sanctione vitae vel mortis aeternae. Ioan. iii. 16, 18, 36. *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam... Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei... Qui credit in Filium habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

II. Quum primum coepit praedicare regnum suum in terris instituendum, coniunxit discipulos suos, atque ex his elegit *duodecim*, quos constituit unum speciale collegium a ceteris plane distinctum. Quam quidem electionem et segregationem speciali cum solemnitate factam fuisse describit Lucas, vi. 12 sqq. *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos: et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit: Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream...*

Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis ab omni Iudaea, et Hierusalem, et maritima, et Tyri et Sidonis, qui venerunt ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Quamvis vero deinceps, ut narrat idem Evangelista c. x., eis tanquam adiutores in ministerio praedicationis adiunxerit et *alios septuaginta duos*, ad exhibendam distinctionem graduum hierarchiae in sua Ecclesia (1), eos tamen nec Apostolos creavit, nec Apostolis aequavit. Ceterum tum Apostolis, tum eorum adiutoribus septuaginta duobus, eamdem iniungit formam praedicationis, qua ipse utebatur, nempe ut, demonstrata signis et virtutibus sua divina missione, officium obedientiae fidei in audientibus responderet sub sanctione vitae aut mortis aeternae. *Hos duodecim misit Iesus, praecipiens eis... Euntes praedicate... Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros... tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii quam illi civitati... Qui recipit vos me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Matth. x. 5, 7, 14, 15, 40. *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Luc. x. 16.

III. Collegio apostolico speciales omnino praeroga-

---

(1) Prima vocatio discipulorum fuit mox post reditum Christi ex deserto, adeoque ipso initio praedicationis ante primum Pascha. Ioan. i. 37 sqq. Electio duodecim Apostolorum ex *turba discipulorum eius*, eorumdemque missio, Luc vi. 12., Matth. x. 5. facta est utraque post secundum Pascha. Designatio autem et missio septuaginta duorum incidit in autumnum post tertium Pascha. " Memoratu, addit Card. Franzelin, dignissimum est, quod inde iam nomine collegiali eis (Apostolis) proprio, ut unum corpus morale constanter appellantur *illi duodecim* cum articulo οἱ δώδεκα... Imo idem nomen *duodecim* retinent, ut proprium, etiam post interitum proditoris et ante electionem Matthiae, Ioan. xx. 24., 1. Cor. xv. 5. (in textu graeco), quando alibi *undecim*, οἱ ἕνδεκα, dicti reperiuntur, Matth. xxviii. 16., Marc. xvi. 14., Luc. xxiv. 9., Act. i. 26. Hoc ipso nomine οἱ ἕνδεκα appellatur collegium, etiam ubi soli decem sunt Luc. xxiv. 33., coll. Ioan. xx. 24. Vicissim conservatur nomen *duodecim* ad designandum totum collegium etiam pro tempore, quo, assumpto Matthia et Paulo, iam sunt tredecim vero sensu Apostoli, Matth. xix. 28., Apoc. xxi. 14. „

tivas concessit. Huic collegio directa sunt illa Christi verba Matth. xviii. 18. *Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Quibus verbis potestas auctoritativa regiminis manifeste significatur. Eidem collegio contulit in ultima coena potestatem ad consecrandum suum corpus verum, 1. Cor. xi. 24, 25., et post resurrectionem a mortuis plenam potestatem ad corpus suum mysticum, Ecclesiam, docendum, regendum et sanctificandum, quando dixit: *Pax vobis: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Ioan. xx. 21, 22, 23. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Matth. ult.

IV. His perpensis, patet formam nascentis Ecclesiae non esse eam quam fingunt adversarii, quasi potestas in sacra fuerit a Christo concessa indiscriminatim omnibus fidelibus. Perspicuum est ex iis, quae commemoravimus, eam potestatem, quae sicut in fonte plenarie invenitur in Christo, ex eo participari et communicari non in omnes, sed in coetum plane determinatum et seiunctum a ceteris, quibus hoc unum est commune, plenum sc. obsequium obedientiae fidei. Consimili plane ratione se gesserunt Apostoli. Munus pascendi quo fruebantur personis determinatis atque ordinis plane distincti a ceteris deferebant. Ita per singulas Ecclesias constituebant presbyteros et episcopos, et iubebant alios eorumdem successores institui. Act. xi. 30., xiv. 22., Tit. i. 5. Item in primis Apocalypsis capitibus septem praepositi fuerunt *angeli*, i. e. episcopi, Ecclesiis Asiae minoris. Qui quidem episcopi dicuntur praepositi a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam, quam Deus adquisivit sanguine suo, Act. xx. 28.; ad faciendum opus evangelistae, h. e. ad inculcandam rectam doctrinam, 1. Tim. iv. 16., 2. Tim. iv. 2 sqq., Tit. i. 9.; ad dirigendum publicum cultum et sacramenta ministranda,

et, si opus fuerit, etiam ad iudicandum et corripiendum 1. Tim. II. 1, 2. v. 19, 20, 22.; Tit. I. 5, 11. II. 1 sqq. Quae quidem monet Apostolus 1. Tim. VI. 14. praestanda esse usque *in adventum Domini*. Quibus verbis aperte significatur, haec munera non fuisse extraordinaria pro aevo Apostolico dumtaxat, sed perpetuo manere in Ecclesia usque ad mundi finem, ut mox plenius ostendemus.

Argumentum III. Quod a medio seculo III. et deinceps usque ad rebellionem protestanticam, Ecclesia Christi illum eumdem statum hierarchicum prae se tulerit, quem nos ponimus, adversarii non diffitentur: est quippe res notissima ex tota historia Ecclesiastica. Quod quidem verum est non solum de Ecclesia Romana, sed etiam de Ecclesiis Orientalibus a seculo V. a Romana separatis. Agendum itaque dumtaxat de primis Ecclesiae temporibus post decessum Apostolorum usque ad medium seculum III. Iam vero duo historice sunt certissima.

I. Certum est imprimis hierarchicum ordinem clericorum semper et ubique, etiam ante Tertulliani aetatem, in Ecclesia extitisse.

Testem habemus Eusebium, qui in sua Historia Ecclesiastica exhibet nomina Episcoporum Ecclesiae Alexandrinae, Antiochenae, et Hierosolymitanae usque ad Apostolos. Cf. Franzelin (*De Ecclesia Christi*, pag. 271). Idem Eusebius de Hegesippo, qui vixit circa medium sec. II. haec narrat. " Scribit (Hegesippus) se, cum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam. Idem, postquam de Clementis *ad Corinthios* epistola quaedam commemoravit, haec addit quae nos, si placet, audiamus. — Et Corinthiorum quidem, inquit, Ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum, eiusdem loci episcopum, quocum familiariter locutus sum dum Romam navigarem... Romam vero cum venissem, catalogum feci usque ad Anicetum, cuius tum diaconus erat Eleutherus. Post obitum dein Aniceti successit Soter, quem excepit Eleutherus. In singulis autem episcoporum successionibus, et per singulas urbes eadem manent, quae per legem et prophetas et a Domino ipso praedicata sunt. — „ (*Hist. Eccl.* lib. 4. c. 22.)

Ergo medio seculo II. munus episcopale multo ante existebat, ut iam conficiendi essent catalogi episcoporum singularum Ecclesiarum.

Testem etiam locupletissimum habemus Irenaeum et ipsum Tertullianum. Prior contra haereticos ad traditionem ita provocat. " Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos... Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes; quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus (haereticos) omnes. „ (3. *Adversus haereses*, c. 3.) Subnectit catalogum ab Apostolis usque ad Eleutherum, qui " nunc, ait, duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet. „

Ad apostolicam etiam episcoporum successionem provocat Tertullianus. " Edant ergo (haeretici), inquit, origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et ceterae exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traducem habeant. Confingant tale quid haeretici. „ (*De praescript.* c. 32.) Quod vero ipse Tertullianus, apostata factus, contra auctoritatem ecclesiasticam rebellaverit, et

(L. *De exhort. castitatis*, c. 7.) aliqua dixerit, quae difficulter cum priore eius doctrina cohaerere videantur, mirum esse non debet.

II. Certum est praeterea, hanc distinctionem inter clerum et populum, quae, defunctis etiam Apostolis, permansit in Ecclesia, non ex humano, sed ex divino Christi instituentis iure manasse. Praeprimis id satis colligi potest ex testimoniis quae in hoc et superiore argumento iam protulimus. Nam Ecclesia, prout a Christo fuit aedificata, perennem habet durationem, ut in thesi praecedente probavimus. Ergo, ex Christi etiam instituentis ordinatione, eamdem prae se ferre debet formam, saltem quantum ad munia status ordinaria quibus christianus populus est pascendus, quam habuit quando a Christo fuit aedificata. Secus enim minime haberetur illa eadem Ecclesia quae a Christo condita fuit et ab Apostolis regebatur: nec esset porro Ecclesia Christi, nisi *obiective* tantum, quatenus in Christum credit, non ratione *originis*, qualis necessario esse debet illa Ecclesia cui Christus suam promisit assistentiam. Atqui Ecclesia, quam Christus condidit et quam regebant Apostoli, formam prae se tulit societatis inaequalis ex ministris sacris a populo distinctis, qui ipsi soli potestate fruerentur in sacra divinitus eis concessa. Ergo haec distinctio, quae in Ecclesia, defunctis Apostolis, permansit, ex divino Christi instituentis iure repetenda est. Accedunt praeclara testimonia Patrum apostolicorum, aliorumque qui aetati apostolicae viciniores fuerunt.

Clemens Romanus hierarchiam N. T. ex ea quae divinitus instituta fuit in V. T. ita explicat. " Omnia ordine debemus facere (nos christiani) quae Dominus statutis temporibus peragi iussit. Oblationes scilicet et officia sacra praecepit perfici non temere et inordinate, sed statutis temporibus et horis; ubi et a quibus celebrari vult, ipse suprema sua voluntate definivit... Qui ergo, assignatis temporibus, oblationes suas faciunt, accepti et beati erunt. *Domini enim statuta sequentes non aberrant. Summo namque sacerdoti propria munera attributa sunt, et sacerdotibus proprius locus assignatus est, et levitis propria munera in-*

cumbunt, *homo laicus laicis praeceptis obligatur*. Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine gratiarum actiones offerat Deo, in bona conscientia permanens, non transgrediens *constitutum sui ministerii canonem*, in sanctitate.... Missus est Christus a Deo, et Apostoli a Christo, factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Per regiones igitur et urbes praedicantes *constituerunt primitias illarum*, *Spiritu cum probassent*, *in episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant*. „ Facta autem comparatione cum designatione Sacerdotii in familia Aaronica, pergit. " Apostoli quoque nostri per Iesum Christum D. N. cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti constituerunt praedictos, *et deinceps ordinationem dederunt*, *ut*, *cum illi decessissent*, *ministerium eorum alii probati viri exciperent*. „ (Ep. *ad Corinthios*.)

Ignatius M. in septem suis Epistolis plura habet in rem praesentem aptissima. E multis haec sufficiant. " Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis; sed et presbyterio subditi sitis ut Apostolis Iesu Christi... Oportet autem et eos qui sunt diaconi mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum diaconi sunt, sed ministri Ecclesiae Dei... Cuncti similiter revereantur diaconos *ut mandatum Dei*, *et episcopum ut Iesum Christum Filium Patris*, *et presbyteros ut synedrium Dei atque ut collegium Apostolorum. Sine his Ecclesia non nominatur*. „ (Ep. *ad Trall.* n. 2, 3.) " Unanimes sitis in sententia Dei. Etenim Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, Patris sententia est, ut et episcopi per fines terrae constituti *in sententia Iesu Christi sunt*; unde decet vos uniri episcopi sententiae, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum episcopo, ut cordae citharae... *Quemcumque enim paterfamilias mittit ad regendam domum suam*, *hunc ita suscipere debemus*, *ut ipsum qui mittit. Manifestum est igitur*, *quod episcopum respicere oportet ut ipsum Dominum*. „ (Ep. *ad Ephesios*.) " Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri, et presbyterio ut Apostolis, diaconos autem revereamini

ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant. Illa rata habeatur Eucharistia quae sub episcopo peragitur, vel cui episcopus commiserit. Ubi compareuerit episcopus, ibi et multitudo sit; sicut ubi fuerit Christus Iesus, ibi est catholica Ecclesia. Nefas est sine episcopo baptizare, neque agapen facere; sed quod ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut securum et ratum sit omne quod peragitur.... *Qui clam episcopo aliquid facit, diabolo servit.* „ (Ep. *ad Smyrnaeos*, n. 8, 9.)

Origenes ita describit divinam institutionem coetus hierarchici in Ecclesia. " Sic etiam senatum ecclesiasticum, si componas ad senatum singularum civitatum, invenies quosdam senatores ecclesiasticos ubivis gentium dignos qui administrent civitatem Dei. Cum e contrario qui cernuntur passim senatores, eorum mores nihil prae se ferant dignum tributa illis dignitate qua videntur prae civibus eminere. Et si eodem modo Ecclesiae antistitem cum singularum urbium praesidibus comparaveris, intelliges, inter senatores et moderatores Ecclesiae Dei, etiam eos, qui a ceteris superantur, et apud officiorum observantiores haberi possunt desidiosi, in progressione ad virtutes praecellere iis, qui in urbibus senatorum et praesidum dignitatibus praefulgent. *Quae cum ita sint, annon aequum est in Iesu, qui haec tanta constituere potuit, non vulgarem agnoscere divinitatem?* „ (3. *Cont. Celsum*, n. 30.) Et alibi. " Si Iesus filius Dei subiicitur Ioseph et Mariae, ego non subiiciar episcopo, *qui mihi a Deo ordinatus est Pater? non subiiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione praepositus est?* „ (Hom. 20. in *Lucam*.)

Hilarius Pictaviensis. " Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiae curam adhortetur (Dominus), specialem tamen populi principibus, id est, episcopis, in expectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum, fidelem atque prudentem, praepositum familiae significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. „ (*In Matth*, c. 27.)

Cyprianus de diacono contra episcopum rebellante haec scribit. " Meminisse diaconi debent quoniam Apo-

stolos, i. e. episcopos et praepositos, Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in caelos Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et ecclesiae ministros. Quod si nos aliquid contra Deum possumus, qui episcopos facit, possunt et contra nos audere diaconi, a quibus fiunt. Et ideo oportet diaconum, de quo scribis, agere audaciae suae poenitentiam, ut honorem sacerdotis agnoscat, et episcopo praeposito suo plena humilitate satisfacere. „ (Epist. 3. n. 3.) Alibi vero haec praeclara habet de principio ecclesiasticae unitatis. " Etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia, *plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo, et, si qui cum episcopo non sint, in Ecclesia non esse*, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quae catholica et una est, scissa non sit, neque divisa, sed *sit utique connexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.* „ (Ep. 66.)

Perspicuum est igitur ex propositis, Ecclesiam ex Christi institutione esse societatem inaequalem, ut in thesi asseruimus, non vero aequalem, ut finxerunt novatores seculi XVI. Confirmatur ex recta ratione. Forma enim societatis plene democraticae, cuiusmodi ex adversariorum mente foret Ecclesia, est imperfectissima, immo vix possibilis in magna multitudine. Atqui non est praesumendum adeo imperfectum fuisse opus Christi Domini, quando suam Ecclesiam aedificavit. Propterea in Scripturis assimilatur humano corpori, in quo naturalis constitutio est plane organica, et ex membris plane distinctis, quorum unumquodque propriam et distinctam habet operationem, prout ratiocinatur Apostolus 1. Cor. xii. " Si quis, rectissime ait Tridentina Synodus, omnes christianos promiscue N. T. sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si,

contra B. Pauli doctrinam, omnes apostoli, omnes prophetae, omnes evangelistae, omnes pastores, omnes sint doctores. „ (Sess. 23. c. 4.) Itemque B. Thomas. " Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci posset. Et ideo, ut in suis operibus repraesentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima, ut Dionysius dicit c. 5. *Eccl. Hier.* Et ideo, ut ista pulchritudo Ecclesiae non deesset, posuit Ordinem in ea, ut quidam aliis Sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes: sicut et in corpore naturali quaedam membra aliis influunt. „ (*Suppl.* q. 34. a. 1.) Et in resp. ad 1^{um} haec praeclare subiicit. *Subiectio servitutis repugnat libertati, quae servitus est, cum aliquis dominatur aliis ad sui utilitatem subiectis utens. Talis autem subiectio non requiritur in Ordine; per quem, qui praesunt, salutem subditorum quaerere debent, non propriam utilitatem.*

Scholion I. Nonnulla testimonia, quae adversus propositam doctrinam ex Scripturis et Patribus opponuntur, recte declarata invenies apud Auctorem (*De Ordine*, n. 15, 23... 28, 38... 44.) Ad illud vero quod opponitur ex paritate civitatis, cuius auctoritas, ut plures scholastici docuerunt, primo inest in multitudine, ex cuius consensu deinceps translata dicitur in principes, respondemus eiusmodi paritatem nullam esse. Nam potestas in sacra in praesenti oeconomia ex positiva Christi voluntate tota dimanat, quae idcirco in eo tantum subiecto reperiri debet cui ipse Christus concessit. Quae vero fuerit Christi voluntas in re praesenti, satis ex propositis patet. Ceterum opinio illa scholasticorum de primaevo subiecto politicae potestatis, nostra sententia, falsa est nec ullo solido fundamento superstruitur. [*Ph. Mor.* 443 sqq.]

Scholion II. Ex testimoniis Scripturarum et Patrum, quae produximus, in ipso coetu hierarchico ministrorum Ecclesiae tres gradus aperte designantur, ex ipsa Christi institutione inter se distincti, sc. sacerdotum

primi ordinis, sive Antistitum vel Episcoporum, sacerdotum secundi ordinis, sive simplicium Presbyterorum, et Diaconorum qui sacerdotibus utriusque ordinis ministrent. Nomen *presbyteri* primis Ecclesiis temporibus saepe tribuebatur etiam sacerdotibus primi ordinis. Act. xx. 17, 28.; 1. Petr. v. 1.; 1. Tim. iv. 14.; 2. Tim. i. 6. Ita etiam Irenaeus pluries. An vero sacerdotes etiam secundi ordinis appellati quandoque fuerint *episcopi*, non liquet. Cf. Franzelin (*De Ecclesia Christi.* th. 16.) Ceterum, ut initio dixi, haec quaestio alibi est discutienda.

THESIS XIV.

Ecclesia a Christo fundata debet esse apostolica, quatenus iis pastoribus gubernetur qui in locum Apostolorum legitima institutione succedant.

Explicatio thesis. Priusquam thesis probetur, haec diligenter adverte.

I. Tria sunt distinguenda in Apostolis. Primum, quae eis conveniebant, prout simpliciter erant *Ecclesiae membra*. Haec enim ratio communis est tum membris, ut ita dicam, dirigentibus, tum membris exequentibus. Ad eos, sub hac ratione spectatos, dirigebantur monita et praecepta morum quae passim in Evangelio leguntur, quibus Christus in eorumdem persona omnes suos futuros fideles instruebat. Secundo, ea quae Apostolis conveniebant ex *Apostolatus privilegio*, quae nempe iis contulit Christus, quatenus constituti erant primi promulgatores suae divinae revelationis et Ecclesiae fundamentum iuxta illud: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo Iesu.* Ephes. ii. 20. Huc spectat facultas scribendi libros canonicos, patrandi miracula, etc., quae quidem, utpote personalia, ad alios non erant derivanda. Tertio demum sunt ea quae ad Apostolos pertinebant ex *munere pastorum* ad regendam

Ecclesiam iam fundatam, ut est facultas docendi, praecipiendi et sanctificandi, quae hierarchicam Ecclesiae potestatem constituit. De hac cura *pastoritia* sermo est in thesi.

II. Ii dicuntur pastores succedere in locum Apostolorum ad Ecclesiam gubernandam, qui ea potestate hierarchica fruuntur quam Christus Apostolis concessit uti Ecclesiae pastoribus. Minime vero per hoc significatur delatio totius Apostolicae potestatis in successores, multoque minus idem translationis modus. Nam Apostoli singuli immediate fuere missi a Christo ad omnes homines, et ubique terrarum curam pastoritiam exercere poterant: quod quidem ex eorum agendi ratione apparet. Contra, excepto successore B. Petri in primatu (de quo postea), alii episcopi ab Apostolis singulis ecclesiis assignabantur ut in sua quisque ecclesia resideret eiusque curam gereret. Act. xiv. 22., xx. 28.; 1. Tim. i. 3.; Tit. i. 5 sqq.; 1. Petr. v. 8. Quare Ioannes loquitur de angelo, h. e. episcopo Ephesi Ecclesiae, de angelo Smyrnae Ecclesiae, etc. Apoc. ii. Sufficit itaque ad successionem, de qua loquimur, ut quicumque pastor in Ecclesia constituitur. id non praestet nisi usus ea potestate vel *participatione* potestatis, *quae* Apostolis ad Ecclesiam regendam fuit a Christo concessa.

III. Successio, de qua loquimur, est successio formalis, seu proprie dicta, h. e. *legitima*. Quae nempe tunc habetur cum successor antecessoris locum occupat, non per vim et usurpationem, sed servata lege in societate vigente. Praeclare in hanc rem Gregorius Nazianzenus. " Neque enim qui per vim irrupit successor habendus est, sed qui vim perpessus est; nec qui leges violavit, sed qui legitime creatus est; nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide praeditus est: nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et mentis alienationem prudentiae succedere dicimus. „ (Oratio *In laudem Athanasii*, n. 8.) Quae vero servandae leges in institutione seu creatione pastorum Ecclesiae, postea dicemus.

Probatio thesis. Praecipuum argumentum ducitur ex *perennitate muneris pastoralis* quo Christus suos Apostolos insignivit. Si enim ita res se habet, ex Christi institutione plane requiritur, ut Ecclesia regatur vel ab ipsis Apostolis, vel a legitimis eorum successoribus in munere pastorum. Quum itaque primum fieri non possit, Apostolis vita functis, necesse est ut Ecclesia Christi iis pastoribus gubernetur qui in locum Apostolorum legitima institutione succedant. Ita enim verum erit quod in *Praefatione* Missarum in festis Apostolorum dicimus: *ut iisdem rectoribus gubernetur quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores.* Atqui munus pastorale a Christo concessum Apostolis cum eorum morte non extinctum iri, sed perpetuo esse duraturum, patet ex Evangelii locis singulis in quibus de hoc munere est sermo.

I. Potestas ligandi et solvendi, quam pollicetur Christus se daturum Apostolis Matth. xvi. 19., xviii. 18., est procul dubio perpetua. Ex toto enim contextu utriusque patet eam tamdiu durare debere, quamdiu perdurabit ipsa Ecclesia, quae quidem nunquam deficiet. Praeterea, potestas haec est universalis, neque ullo addito restringente diminuta a Christo confertur pro Ecclesiae regimine. Sicut igitur ea potestas non restringitur quoad fideles in quos est exercenda, ita nec restringenda est quoad locum et tempus.

II. Potestas, qua Christus in ultima coena Apostolos sacerdotes consecravit, usque ad secundum ipsius adventum perdurabit, h. e. usque ad mundi consummationem. Patet aperte ex illis verbis. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis,* donec veniat. 1. Cor. xii. 26. Praeterea, sacrificium et sacerdotium ita sunt coniuncta ut utrumque in omni lege semper extiterit. Potestas itaque sacerdotalis, quae in ultima coena Apostolis fuit a Christo collata, non est censenda personale quoddam privilegium Apostolis collatum, sed ad eorum munus ordinarium pastorum Ecclesiae pertinet.

III. Legatio, quam in ipsa die resurrectionis Christus collegio Apostolico commisit, Ioan. xx. 19.....23, peren-

nis etiam est dicenda. Duae enim partes complectitur. Unam generalem instar principii, quando ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quibus verbis Apostolis committit illud ipsum munus, quod nomen *apostoli* eis impositum significat. Hoc munus est ad similitudinem illius missionis qua Christus ipse fuit a Patre missus ut opus redemptionis totius humani generis perficeret, et ideo tamdiu durare debet, quamdiu hoc redemptionis opus perdurabit, h. e. usque ad Ecclesiae glorificationem in altero Christi adventu. Apposite Chrysostomus. " Cum igitur omnia sublata sint impedimenta, et victoriam splendidam statuerim, et omnia sint restaurata (per mortem crucis); inde tandem, ait (Christus): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos...* Hic eorum animos erigit, et fide eos dignissimos exhibet, siquidem ipsius opus suscepturi erant; nec iam invocatio Patris est, sed sua propria auctoritate dat eis potestatem. „ (Hom. 86. *In Ioannem*) Altera pars, quae in hac legatione apostolica continetur, se habet quasi consequens quod ex priore sicut ex principio derivatur: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis specialis potestas declaratur et conceditur, quae spectat ad generale munus sanctificandi homines, quod in superioribus verbis; *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* iam implicitum invenitur. (1) Sicut enim Christus opus redemptionis exercet uti Propheta, Sacerdos et Rex, Ecclesiam videlicet docendo, sanctificando et regendo:

---

(1) " *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* His verbis D. N. Iesus Christus ordinavit orbis *duces*, et *doctores*, et *divinorum mysteriorum suorum dispensatores*, quos etiam luminarium instar lucere iam et illuminare iubet non solum Iudaeorum regionem... sed omnem potius quae sub sole est... Columnae et firmamentum veritatis facti sunt beati discipuli. Quos enim misisse se dicit, sicut Pater ipsum misit, simul quidem apostolatus dignitatem ostendens et traditae eis potestatis incomparabilem gloriam, una vero, ut par est, apostolicorum munerum viam demonstrans. Nam si suos ipse discipulos ita mittendos esse censuit, sicut ipsum Pater misit, quomodo necesse non erat, ut qui similium imitatores esse deberent, dispicerent ad quid perficiendum Pater Filium miserit?.... Postquam magna apostolatus

ita etiam idem opus Apostoli tamquam Christi ministri et legati perficere debent. Iam vero, haec quoque eximia potestas, remittendi et retinendi peccata, perpetuo perseverare debet in Ecclesia. Tamdiu enim erit exercenda, quamdiu erunt peccatores, videlicet usque ad mundi finem. Accedit, quod peccata illa quae hac potestate non remittuntur, eo ipso sunt retenta, h. e. non dimissa. Si igitur haec potestas Apostolis collata desineret esse in Ecclesia, iam fideles peccatores salutem consequi non possent. Quod quidem cum generali voluntate salvifica divina minime cohaeret.

IV. Quod spectat perennitatem supremae potestatis singulariter collatae Simoni Petro in apparitione ad lacum Tiberiadis quae narratur Ioan. xxi. paulo inferius data opera ostendemus. Interim sufficiat hoc ineluctabile argumentum. Iis verbis: *Pasce agnos meos*, *pasce oves meas*; B. Petrus constitutus fuit pastor, summi pastoris Christi vicarius, *totius* ovilis eiusdem Christi Domini. Tamdiu

---

dignitate eos claros effecit, et, sicut modo dixi, divinorum altarium ministros ac sacerdotes constituit, statim eos sanctificat manifesto sufflatu proprium suum spiritum eis largiens. „ Cyrillus Alex. in h. l. Notandum est, Cyrillum nomine *sacerdotii*, quod his verbis ait collatum fuisse Apostolis, intellexisse integram potestatem liturgicam in ordinando externo cultu divino. Ita enim dicere potuit institutionem sacerdotii in verbis missionis Apostolorum implicite contineri. Intelligi etiam potest sacerdotii *summitas* sive apex quae est propria Episcoporum sive sacerdotum primi ordinis. Quatenus vero in sacerdotio spectatur sola potestas sacrificandi, cum ea in ultima coena iam Apostolis collata fuerit, verba generalia missionis apostolicae *confirmationem* tantum huius potestatis includere censeri possunt. Notandum est etiam hanc missionem non minus pro Thoma tunc absente valere quam pro reliquis praesentibus. Collata enim fuit collegio Apostolico. " Quomodo ergo, ait idem Cyrillus Alex., Thomas, non immerito quaeret aliquis, si vere tunc aberat, Spiritus Sancti factus est particeps, cum discipulis Dominus apparuit, et insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*? Respondemus, Spiritus Sancti virtutem in omnes, qui gratiam (apostolatus) acceperunt, permanasse et largientis scopum adimplevisse. Dedit enim Christus *non aliquibus seorsum, sed omnibus in communi discipulis*. Quapropter eum accipiunt, tametsi aliqui non aderant, dantis liberalitate non ad solos praesentes restricta, sed in *totum sanctorum Apostolorum chorum permeante*. „ Lib. 12. *in Ioannem*.

ergo cura pastoritia Petri in ovile Christi, sive Ecclesiam perdurabit, quamdiu ipsum ovile sive Ecclesia perdurabit, h. e. usque ad mundi consummationem.

V. Tandem legatio illa sollemnis in Galilaeae monte, de qua MATTH. ult., manifeste est perpetua. Concludit enim Christus nota illa promissione: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* " Qui usque ad consummationem seculi, ait Hieronymus, cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum. „ (Lib. 4. *in Matth.* fin.)

Est itaque perspicuum ex Evangelio id quod in thesi asseruimus. Accedit duplex confirmatio. Altera ex perpetuitate Ecclesiae. Si enim Ecclesia post aevum apostolicum alia quavis potestate regeretur, quam quando Apostoli ipsi eam gubernabant, non esset una eademque Ecclesia, sed alia et alia. Ecclesia itaque, quam in Apostolis et per Apostolos aedificavit Christus, periisset, et alia in locum prioris substituta fuisset. Quod promissionibus Evangelicis aperte repugnat. Altera confirmatio ducitur ex testimoniis Patrum quae in thesi superiori adduximus. Irenaeus et Tertullianus, item Eusebius, ad successionem apostolicam in ministerio episcopali appellant ut ad notam characteristicam (*characterem corporis Christi*, uti loquitur Irenaeus), verae Ecclesiae. Clemens Romanus aperte ait Episcopos Apostolorum *ministerium suscipere*: quos propterea Cyprianus vocavit etiam *Apostolos*, ut notavit Pacianus (Ep. 1. *ad Sempron.* n. 6.). Item Ignatius M. multis modis hortatur ut Ecclesiae presbyteros et episcopos revereamur loco senatus apostolici cui praesit ipse Christus. Propterea inquit Hieronymus: *Apud nos Apostolorum locum episcopi tenent.* (Ep. 41. *ad Marcellam*, n. 3.) Et Gregorius M. *Horum* (Apostolorum) *profecto nunc in Ecclesia locum episcopi tenent.* (Hom. 26. *in Evangel.* n. 5.) Item Tridentina Synodus declaravit " episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum (Ecclesiae) ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. „ (Sess. 23. c. 4.)

THESIS XV.

Legitima institutio pastorum, qui locum Apostolorum obtineant in Ecclesiae regimine, ex Christi institutione non spectat ad politicum magistratum aut ad plebem, sed repetenda est ex missione primitus a Christo profecta et per Apostolos eorum successoribus derivata.

Quaestio. Duo continentur in *institutione* sive *creatione* (perinde enim haec accipiuntur) pastorum Ecclesiae, *consecratio* et *iurisdictio*, pro duplici illa potestate ecclesiasticae hierarchiae, quam alibi meminimus [p. 75]. Prior ab Apostolis fiebat per sensibilem ritum impositionis manuum (χειροτονία), Act. xiv. 22. graece, 1. Tim. iv. 14., v. 19, 22., 2. Tim. i. 6. Qui ritus semper servatus fuit in collatione ordinum maiorum. Cf. Petavium (*De Eccl. hier.* lib. 1. c. 8., lib. 2. c. 6. n. 9 sqq). Nomine autem potestatis *iurisdictionis* intelligitur ea qua quis actu *praepositus* (ἡγούμενος) ceteris fidelibus efficitur ad exigendam obedientiam et subiectionem quasi rationem pro animabus eorum redditurus. Confertur itaque alicui quoties ei legitime officium vel delegatio praepositurae iniungitur. Hae duae potestates per se sunt distinctae et separabiles. Ita sunt et fuerunt in Ecclesia consecrati Episcopi *regionarii*, *titulares*, et mere *honorarii* sine determinata aut saltem sine actuali iurisdictione: contra vero sunt et fuerunt Cardinales, Abbates aliique sine consecratione episcopali, potestate tamen quasi episcopali praediti. Praeter *consecrationem* et *iurisdictionem* consideratur etiam *electio*, quando agitur de institutione pastorum Ecclesiae. Ceterum qui eligit, per se nullam confert potestatem sive ordinis sive iurisdictionis, sed ius tantummodo tribuit et quasi disponit subiectum ut ea potestas ab alio conferatur qui id praestare possit. In proposita

thesi de hac electione non loquimur, sed solum de ipsa collatione potestatis qua formaliter quis Ecclesiae pastor instituitur, quamvis ex iis quae mox afferemus, facile etiam colligi possit quid de hac ipsa electione sentiendum.

Probatio thesis. Ducitur ex necessitate missionis seu legationis. Nam ex ipsa rei natura et quotidiana hominum praxi manifestum est neminem alterius nomine agere posse nisi delegata ab eo potestate. Quam universalem legem enuntiat Paulus, Rom. x. 15. *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Item Hebr. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Auron.* Propterea, ipse Christus, ut fidem sibi conciliaret, iugiter ad suam provocat missionem, ut Paulus infert post verba proxime relata. *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Iam vero quemadmodum Christus eatenus sibi fidem meretur, quia missus est a Deo; ita pastores Ecclesiae consimilem fidem sibi conciliare non possunt, nisi quatenus sint et se ostendant missos a Christo. Quare aiebat Apostolus, 1. Cor. iv. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Item 2. Cor. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Ergo nemo censeri potest legitimus pastor in Ecclesia Christi nisi ad hoc munus exercendum a Christo sit missus. Christus autem immediate per se non misit nisi Apostolos ad suam Ecclesiam pascendam, eorumque ministerio dumtaxat affuturum se promisit usque ad consummationem seculi. Ergo, ut quis legitimus pastor in Ecclesia censeatur, necesse est ut cura pastoritia a fonte apostolico in ipsum dimanet. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem per ostium pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum.* Ioan. x. 1 sqq.

Opponunt protestantes in hunc modum. Deus in regenda Ecclesia non semper utitur successione praesulum ordinaria et mediata, sed subinde extraordinaria et per se immediate. Ita in V. T. extraordinarie mittebat et per se immediate Prophetas ut suae collapsae Ecclesiae prospicerent. Pariter fecit in N. T. excitans Lutherum quasi Eliam aut Ioannem Baptistam ad reformandam suam Ecclesiam in gravissimos errores prolapsam.

Respondeo. Deus utique potest aliquos viros egregios vocare modo extraordinario et per se immediate, et subinde ita reipsa efficit. Duo tamen simul observat. Primum, eiusmodi viros talibus signis et suae extraordinariae missionis characteribus instruit, dono ex. gr. miraculorum, aut prophetiis eventu impletis, aut praecellenti vitae sanctimonia, ut prudens quisque dubitare minime possit eos reipsa esse specialiter a Deo missos ad praevaricatores suae legis corrigendos. Hac ratione suam missionem confirmabant Prophetae V. T.; nec certe aliquid huic rei simile contigit in Luthero, aliisque deformatoribus seculi XVI. Secundo: Deus nunquam mittit huiusmodi viros ut aliter doceant quam qui sedent super cathedram Mosis aut Apostolicam, nec ut Ecclesiae universae fundamenta diruant, sed contra maiori cum fructu avitam Ecclesiae doctrinam inculcent, corrigant perversos mores, homines abducant a vitiis, et virtutes implantent. In Prophetis V. T. fuit insuper haec ratio mittendi, ut mundo praenuntiarent futurum Messiam, et alia quae spectant ad regnum Christi sive Ecclesiam futuram N. T. Hac de causa Paulus, licet *Apostolus neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem*, Gal. i. 1. non solum nihil praedicavit contra doctrinam τῶν ἔνδεκα Apostolorum, sed potius, ut ipse narrat *ibid.* ii. 2., cum illis contulit Evangelium quod praedicabat in Gentibus, *ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset.* In quem locum Augustinus. " Quis est ergo tam demens, ut credat nescio cui ex transverso de Perside post ducentos et amplius annos venienti... cum ipse Apostolus Paulus post Ascensionem Domini de caelo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, et cum quibus confe-

rendo Evangelium, eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet? „ (Lib. 28. *Contra Faustum*, n. 4.)

Conf. 1. *Ex praxi Apostolorum.* Quamvis pauca admodum, praesertim de internis Ecclesiae rebus administrandis, in scriptis apostolicis consignata habeamus, haec tamen satis superque declarant quae fuerit Apostolorum mens de necessitate missionis de qua loquimur. *Reversi sunt* (Paulus et Barnabas) *Lystram et Iconium et Antiochiam confirmantes animas discipulorum... Et cum constituissent* (χειροτονήσαντες) *illis per singulas Ecclesias presbyteros et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino.* Act. xiv. 20, 22. Speciatim de Timotheo nota sunt illa verba: *Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii... Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum.* 1. Tim. iv. 14., 2. Tim. i. 6. Eidem Timotheo iniungitur ab Apostolo: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. Tim. v. 22.; item ut servet suum *mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Iesu Christi.* Ibid. vi. 14. Quae quidem iniunguntur etiam Tito. *Huius rei gratia reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Tit. i. 5. In iisdem epistolis ad Timotheum et ad Titum late describuntur conditiones promovendorum ad Ecclesiae regimen, neque aliqui de populo, sed ipse Timotheus et Titus exhibentur esse qui iudicent, quinam digni sint ut promoveantur, quinam vero indigni ut repellantur. Petrus etiam, qui missionem Pauli probaverat Gal. i. 18., pastores per universas Occidentis Ecclesias praefecit, testibus Tertulliano (*De praescr.* c. 25.), Innocentio I. (Ep. *ad Decent.* n. 2.). Ioannes quoque iuxta Irenaeum, Clementem Alex. (apud Eusebium lib. 3. c. 22.) et Hieronymum (*De viris illust.* c. 9.) viros a se delectos praefecit Ecclesiis Asiae quas fundaverat. Ex quibus omnibus planum est, potestatem totam spiritualem qua Ecclesia regitur, ab Apostolis descendere, ita ut ii soli, qui illam ab Apostolis habuerunt, eam aliis impertiri possint.

Conf. 2. *Patrum auctoritate.* Atque imprimis valent pro hac thesi quae ex Irenaeo et Tertulliano produximus testimonia in thesi praecedente. Quando enim apostolicam successionem ut securam normam doctrinae apostolicae statuunt, hanc successionem constanter per indisruptam pastorum seriem exponunt *ita decurrentem*, uti loquitur Tertullianus, *ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.* (*De praescr.* c. 32.) Quemadmodum in V. T. nemo censeri poterat legitimus sacrorum minister nisi vinculo generationis per quosdam veluti gradus revocaretur ad Aaron, qui caput et radix extitit sacerdotii in synagoga. Accedunt quatuor alia insignia testimonia.

Cyprianus. " Ecclesia enim una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, et quem praeter sacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit, Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest qui, evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a se ipso ortus est. Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est. Foris enim non esse Ecclesiam, nec scindi adversum se aut dividi posse, sed inseparabilis atque individuae domus unitatem tenere manifestat Scripturae divinae fides, cum de sacramento paschae et agni, qui agnus Christum designabat, scriptum sit: *In domo una comedetur, nec eiicietis de domo carnem foras.* Ex. XII. „ (Ep. 76.) Et alibi. " Hi sunt qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui, nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt: quos designat in Psalmis Spiritus Sanctus sedentes in pestilentiae cathedra, pestes et lues fidei, serpentis ore fallentes. „ (*De unitate Ecclesiae.*)

Hieronymus. " Hilarius cum diaconus de Ecclesia recesserit, solusque ut putat turba sit mundi, neque eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non

habens: neque baptisma sine eucharistia tradere. Et cum iam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum clericum diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est quae non habeat sacerdotes. „ (Dial. *contra Lucifer.* n. 21.)

Augustinus. " In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam... multa sunt alia quae in eius gremio me iustissime teneant... Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum. „ (Contra Ep. *Fundamenti*, n. 5.)

Optatus Milev. " Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus ; unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus: cui successit Linus... Damaso Siricius, hodie qui noster est socius: cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum (h. e. litterarum quibus communio conservaretur et significaretur) in una communionis societate concordat. Vestrae cathedrae vos (Donatistae) originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. „ (Lib. 2. c. 2, 3.)

Conf. 3. *Ratione.* Nam Ecclesia a Christo fundata debet esse una et quidem numerice usque ad consummationem seculorum duratura. Hanc enim unitatem et perpetuitatem importat promissio illa Christi Domini: *Aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Quamvis igitur diversis aetatibus sit distincta, necesse est ut Ecclesia hodierna eadem plane sit cum illa quam Christus in Apostolis et per Apostolos fundavit. Non potest autem haec identitas servari nisi traduce Apostolico. Ita enim optime efficitur ut tot ac tantae Ecclesiae particulares ac diversarum aetatum sint *una illa*, ut loquitur Tertullianus (*De praescript.* n. 20, 21.), *ab Apostolis prima ex qua omnes.*

Corollaria. Ex iis, quae in duplici superiori propositione docuimus, haec legitime deducuntur.

I. Duplex distinguenda est apostolicitas, altera *immediata*, altera *mediata.* Immediata habetur, cum aliqua Ecclesia nunquam interrupta pastorum suorum serie pertingit usque ad Apostolos, ut ex. gr. Ecclesia Romana. Mediata vero existit in Ecclesia particulari recentioris originis, cuius propterea pastores non pertingunt nisi ad saec. XV. ex. gr. vel XVI. Haec quoque censebitur apostolica, et quasi soboles Ecclesiarum apostolicarum, si cum illis communione societur, sicut ramusculi non immediate iunguntur radicibus sed mediantibus ramis et trunco. Optime itaque ad Ecclesiae apostolicitatem explicandam facit unitas corporum organicorum. Sicut nempe rami extremi per intermedios et truncum nexu indisrupto coniuncti esse debent cum radicibus, ut succum vitalem inde hauriant et fructum ferre possint; sicuti etiam membra omnia humani corporis atque articuli extremi per venas nullibi intersectas cum corde copulantur ut sanguine irrigentur: ita etiam Ecclesiae singulae particulares omnium locorum et seculorum, pastorum serie nunquam interrupta, coniungi debent Apostolis, per Apostolos Christo, per Christum Deo. Cf. Tertullianum loc. proxime cit.

II. In Ecclesiae apostolicitate quam statuimus tres quasi partes integrales distinguuntur, apostolicitas *doctrinae*, apostolicitas *originis*, et apostolicitas *successionis in ministerio.* Quae ita se habent inter se, ut apostolicitas successionis demonstret apostolicitatem originis; haec vero sit authenticum organum, atque adeo irrefragabile signum doctrinae apostolicae. Nam Apostoli Ecclesiis quas fundarunt pastores praeficiebant in eum finem praesertim, ut eorum ministerio edocerentur fideles doctrinam fidei cuius depositum ipsis committebant. Propterea inquit Paulus: *O Timothee, depositum custodi.... Formam habe sanorum verborum quae a me audisti, bonum depositum custodi... Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* 1. Tim. vi. 20., 2. Tim. i. 13, 14., ii. 2. Item Ephes. iv. 11, 14., Christus dicitur dedisse pastores et doctores (τοὺς

δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους) *ut iam non simus sicut parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ita etiam Irenaeus. " Non oportet adhuc apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sunt veritatis, et omnis, quicumque velit, potum aquae vitae. Quid enim? et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est? „ (Lib. 3. c. 3.) Et Tertullianus. " Quid autem praedicaverint Apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. „ (*De praescript.* c. 21.)

III. Electio pastorum Ecclesiae iure divino ad laicos vel laicum magistratum non pertinet. Nam ius eligendi eos, qui societatem gubernent, spectat ad potestatem regiminis qua eadem societas gubernatur. Atqui Christus totam potestatem in sacra, qua Ecclesia gubernatur, nunquam legitur concessisse promiscue omnibus fidelibus, sed unis Apostolis eorumque successoribus in munere pastorum. Propterea ipse Christus, quando dixit Apostolis Ioan. xx. 21. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*, significavit iisdem ut ea potestate eaque ratione Ecclesiam gubernarent qua ipse gubernaverat eo tempore, quo praesentiam suam mundo exhibebat; quod quidem minime praestitit dependenter ab electione vel etiam suffragio multitudinis vel politici magistratus, sed solius Patris voluntate. Propterea etiam Apostolus Hebr. v. 4. scribit, neminem assumere debere sibi honorem sacerdotii, *nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Atqui Aaron ab uno Moyse (qui sacerdos erat Ps. 98.) electus fuit in pontificem. Accedit optima ratio. Nam si sermo sit de electione populari, ea plerumque, attenta humani generis conditione, incommodis valde gravibus praebet occasionem pro Ecclesiae regimine.

Quae recte enumerat Bellarminus (*De Clericis*, lib. 1. c. 7.). Ergo iuris divinis esse non potest: quae enim sunt impeditiva maioris boni, a sapiente legislatore permittuntur quandoque vel tolerantur, sed non praecipiuntur, ut notavit Angelicus (*Summa th.* 1. 2ae q. a. 2.). Quod si agatur de electione quae fiat a principe seculari, neque illa iuris divini dici potest. Id manifestum est in principe infideli aut haeretico: risibile enim foret ut a tali principe expectentur idonei pastores Ecclesiae. Principes vero fideles, eo quod in Ecclesiam ingrediantur, non immutant naturalem conditionem politicae potestatis quae eis competit, atque adeo, ut principes sunt temporales, iisdem iuribus fruuntur, quibus infideles et haeretici. Cf. S. Thomam (*Summa th.* 2. 2ae q. 10. a. 10., q. 104. a. 6.) (1).

THESIS XVI.

Simon Petrus a Christo constitutus fuit Apostolorum omnium princeps, et totius Ecclesiae militantis visibile caput ac supremus pastor.

Argumentum I. Ducitur e promissione Christi adumbrata Ioan. i. 41, 42., et declarata Matth. xvi. 18, 19. Ex quo ita arguimus. Suprema cura pastoritia in Ec-

(1) Quandoquidem modus eligendi pastores Ecclesiae divino iure non est determinatus, Ecclesiae disciplina varia fuit in hac re pro diversitate temporum et locorum. Cf. Tarquini. Tota autem Historia Ecclesiastica plura suppeditat exempla, iam inde ab Apostolica aetate, electionis factae sine ullo interventu laicorum. In Ecclesia Alexandrina ex. gr. a S. Marci tempore Episcopos a solis clericis electos fuisse refert S. Hieronimus. " Alexandriae, inquit, a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. „ (Ep. *ad Evangelum*, 85.) Aliud perillustre exemplum habes in S. Augustino monacho, et S. Bonifacio M., quorum ille a S. Gregorio designatus est Episcopus absque ullo Anglorum suffragio, iste vero a Gregorio II. Episcopus similiter creatus est et missus ad Germanos nihil tale cogitantes.

clesiam universam significatur per petram seu rupem (Kepha, gr. πέτρος vel πέτρα) quae spirituale Ecclesiae aedificium sustentet, per claves regni caelorum a Christo tradendas, per ligandi solvendique potestatem qualis cit. loc. exhibetur. Atqui Simoni Petro eique soli haec omnia promittuntur a Christo. Ergo cum promissio Christi supervacanea esse non possit, Simon Petrus reipsa totius Ecclesiae supremus pastor a Christo constitutus fuit. Probatur maior et minor.

Prob. propositio maior. Christus metaphora *petrae* seu *rupis* designat aliquid, quod et in se solidissimum sit, et solidissime sustentet aedificium in ea superstructum. Patet ex verbis subiunctis, *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Item ex Matth. vii. 24 sqq. Atqui quod est reale principium firmitatis et stabilitatis in quavis societate, est suprema auctoritas qua regitur; siquidem ea dumtaxat coniungi et efficaciter dirigi possunt omnia societatis membra ad finem communem. Ergo haec suprema potestas in Ecclesiam recte significatur per petram seu rupem in qua eadem Ecclesia superstruitur. Id quoque significatur per *claves regni caelorum* a Christo tradendas. Nam traditio clavium alicuius loci, maxime apud orientales, semper significabat traditionem vel agnitionem potestatis supremae, vicariae saltem, in illum locum. Quod etiam patet ex constanti usu Scripturarum, Isai. xxii. 19 sqq., Apoc. i. 17, 18., iii. 7., ix. 1., xx. 1. Nomen vero *regnum caelorum* hic procul dubio significat Ecclesiam militantem in terris: nam Petro pollicetur Christus potestatem in terris exercendam, ubi dumtaxat locus esse potest ligationi illi vel solutioni quam proxime subiungit. Ergo etiam hac metaphora recte significatur suprema potestas in Ecclesiam universam. Tandem hoc clarissime exprimitur per illa verba: *Quodcumque ligaveris*, etc. Iis enim importatur moralis potestas ligandi sive obligandi, et solvendi, h. e. ab obligatione, eaque universalis in Ecclesia, sine ulla restrictione, sive quoad locum, sive quoad personas, sive quoad vincula. Talis autem universalis potestas residet unice in eo cui tamquam supremo pastori totius Ecclesiae gubernacula traduntur.

Prob. assumpta minor. Nam in suae promissionis declaratione tot modis Christus unam personam Petri describit, ut non pluribus adiunctis certum aliquem hominem designare soleant notarii illi qui instrumenta publica conficiunt, nempe ex nomine proprio nativitatis, ex relativo patris, ex agnomine Kepha recens a Christo Simoni imposito, etc. Praesertim vero illud est notatu dignissimum, verbis promissoriis, quae ex Matthaeo retulimus, Christum voluisse declarare mysterium specialis illius nominis, quo Simonem intuitus cognominavit Kepha, prout narrat Ioannes. Quemadmodum etiam Deus Abrahamo, postquam dixit: *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham*; mutati nominis addit rationem: *Quia patrem multarum gentium constitui te.* Gen. xvii. 5. Item in nomine Iesus. Matth. i. 21. Atqui unus Simon Ioannis a Christo cognominatus fuit Kepha. Ergo ipse dumtaxat est illud Kepha super quod aedificata est Ecclesia. Id quoque apparet ex toto contextu. Nam verba Christi, *Tu es Petrus*, etc. sunt manifeste remuneratoria pro insigni testimonio fidei quo Petrus Christum Filium Dei vivi est confessus. Atqui unus Petrus hoc testimonium exhibuit. Accedit quod ne verbulum quidem aut iudicium extet de mandato quo hoc fidei testimonium Petrus, quasi a ceteris Apostolis delegatus, exhibuerit.

Apposite in h. l. Hilarius Pictaviensis. " Et dignum plane confessio Petri praemium consecuta est, quia Dei Filium in homine vidisset... O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum dignaque aedificatione illius petra, quae inferni leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret. O beatus caeli ianitor, cuius arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in caelo: ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuta eiusdem conditionem obtineant in caelo. „ (Comment. *in Matth.* c. 16.) Ambrosius. " Ipse est Petrus, cui dixit: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit: *Et portae inferi non praevalebunt ei; et tibi dabo claves regni caelorum.* Beatus

Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non caeli porta se clausit: sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit caelestia. In terris itaque positus caelum aperuit, inferos clausit. „ (In Ps. 40. n. 30.) Gregorius Nazianzenus. " Vides quemadmodum ex discipulis Christi, magnis itaque omnibus et excelsis, hic (Petrus) petra vocetur et Ecclesiae fundamenta in fidem accipiat; ille (Ioannes) impensius ametur et supra pectus Iesu requiescat: ac reliqui discipuli eos sibi praeferri aequo animo ferant. „ (*Orat.* 26.) Chrysostomus. " Quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem, toto impugnante orbe, petra firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur: ut Pater Ieremiam alloquens dicebat, se posuisse illum sicut columnam aeream, et sicut murum, sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe. „ (Hom. 54. *in Matth.* n. 2.) Alibi vero (Hom. 7. n. 5.) Petrum vocat τὴν κρηπῖδα τῆς πιστέως. (1)

Argumentum II. Habetur in altera Christi promissione Luc. xxii. 31, 32. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus*

(1) Quandoque Patres Ecclesiam dicunt aedificatam super fidem Petri, non quidem abstracte spectatam, sed quatenus concreta redditur in Petro et Ecclesiae est norma credendi, ut quando ex. gr. dicimus, in alicuius viri prudentia fundari societatis salutem. Ita Leo M. " Ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, non terrena opinio te fefellit, sed inspiratio caelestis instruxit, et non caro et sanguis, sed ille me tibi, cuius sum unigenitus Filius, indicavit. *Et ego*, inquit, *dico tibi*, h. e. sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus*, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram*, etc. Super hanc, inquit, fortitudinem aeternum extruam templum, et Ecclesiae meae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget. „ (Serm. 3. *in anniv. assumpt. suae*, n. 2.) De interpretatione autem tradita ab Augustino (1. *Retract.* c. 21.) confer Bellarminum (1. *De Rom. Pont.* c. 10).

confirma fratres tuos. Ex quo ita arguere licet. Qui a Deo unus constituitur ad securos et invictos servandos Apostolos totamque Ecclesiam contra omnes hostes eosque potentissimos, saevissimos, perpetuo impugnantes, eo ipso Apostolorum totiusque Ecclesiae rector et pastor supremus constituitur. Ut enim proxime notavi, suprema cuiusque societatis potestas ea est, ad quam spectat societatem servare ne dissolvatur et a molimine adversariorum labefactetur. Atqui relatis Christi verbis unus Petrus designatur futurus qui ita Apostolos totamque Ecclesiam tueatur. Ergo iisdem verbis Petrus ut supremus Ecclesiae pastor futurus designatur. Assumptio declaratur per partes.

I. Saeva oppugnatio discipulorum Christi ad vivum depingitur illis verbis: *Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*; quibus aperte significantur vires praegrandes et animus infensissimus qui nihil intentatum relinquat ad eos separandos et penitus extinguendos. Quemadmodum Matth. xvi. portae inferi per synecdochen significant totum infernum cum suis viribus et potestatibus; ita hic per Satanam, principem inferni, eodem communi tropico loquendi modo significantur etiam vires et astutiae infernales universae. Quam saevissimam insectationem significavit etiam Petrus notis illis verbis: *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret.* 1. Petr. v. 8.

II. Discipuli, quos Christus exhibet ita a Satana oppugnandos, sunt praeprimis Apostoli, ut patet ex verbis, *expetivit vos... confirma fratres tuos.* Sed non ii dumtaxat. Quemadmodum enim totus sermo Christi in ultima coena, relatus partim Ioan. xiii. sqq., partim Luc. hoc cap., respiciebat totam Ecclesiam in Apostolis et per Apostolos fundandam; ita etiam oppugnatio illa, qua Satanas perpetuo insectatur Ecclesiam universam, ut clare significavit Petrus verbis proxime relatis. Expetivit quidem Satanas cribrare, sicut triticum, praecipue Apostolos, sed ut Apostolos et pastores: optime enim noverat ruinam pastorum gregum esse ruinam. In hac igitur oppugnatione potissimum intendebat Ecclesiam totam vastare et demoliri.

III. Uni Petro demandatur munus Apostolos confirmandi et Ecclesiam tuendi adversus hanc Satanae sae-

vissimam insectationem. Nam unum Petrum Christus alloquitur, quando ait: *Ego rogavi pro* TE, *ut non deficiat fides* TUA... *Confirma fratres* TUOS. Quod quidem clarius apparet, si attendatur ad totum contextum. Nam Christus coeperat dicere communiter de omnibus Apostolis: *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.* Eosdem etiam communiter antea alloquebatur. Tum vero, mutata repente orationis forma, subiungit: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua... Confirma fratres tuos.* Quaenam huius mutationis ratio, nisi quia Petrus esset designatus caput, atque ita *in fortitudine ipsius*, ut loquitur Leo M. (Serm. 3. *de sua assumptione*), *omnium fortitudo muniretur*? Praeterea, Petrus aperte ut confirmans a ceteris confirmandis, etiam Apostolis, distinguitur iis verbis, *tu confirma fratres tuos.* Apposite Ambrosius. " Sicut enim triticum si ventilatur, et a paleis separatur, mundum est, si autem ventilatum non fuerit, mundum esse non poterit, sed extat paleis concretum atque permixtum; ita etiam homo, nisi tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quaeque veluti paleas a se non poterit separare. Unde etiam ad Petrum dictum est: *Simon, ecce Satanas expostulavit...* Vide quid dicit et intellige. Ventilatur Petrus ut Christum negare cogatur... Cogitur autem adversarius sanctos Dei ad sua damna tentare. Dum enim tentat meliores reddit: ut et qui tentatur possit et alios instituere, qui sibi ipsi invalidus videbatur. Denique Petrus Ecclesiae praeponitur, postquam tentatus a diabolo est. Ideoque ante significat Dominus quid sit illud, quod postea eum pastorem eligit Dominici gregis. Nam huic dixit: *Tu autem conversus confirma fratres tuos.* „ (In Ps. 43. n. 40.) Gemina habet Theodoretus. " *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit...* Quemadmodum enim, ait, ego te fluctuantem non despexi, ita et tu sustentaculum esto fratribus conturbatis, et quo servatus es auxilio, ipse aliis impertire, neque labascentes impelle, sed erige periclitantes. Idcirco enim et te labare sino, cadere non permitto, stabilitatem per te fluctuantibus procurans. Sic orbem terrarum universum fluctuantem atque labantem magna haec columna confirmavit, et ut corrueret omnino non permisit, sed

erexit, stabilemque reddidit, oves divinas pascere iussus. „ (Oratio *de Caritate.*)

Argumentum III. Perspicuum est ex verbis Ioan. xxi. 15 sqq. quibus Christus Petro ter amorem suum erga eum obtestanti demandavit curam totius sui gregis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quidquid sit de distinctione inter agnos et oves, certum est primo, iis significari distinctionem fidelium inter maiores et minores. Certum est secundo, integrum gregem Domini, sive Ecclesiam, iisdem verbis exhiberi. Certum est tertio ex toto contextu, uni Petro curam totius Dominici gregis committi. Certum est quarto, muneri pascendi gregem exhiberi illa omnia officia, quae superior qua talis praestare debet ergo suos subditos, ut constans loquendi mos habet, sive Scripturarum, sive etiam Scriptorum veterum profanorum. Ex quibus hoc manifestum elicitur argumentum. Munus rectoris uni personae commissum in societatem aliquam universam non competit nisi capiti et pastori supremo eiusdem societatis. Atqui uni Petro a Christo est commissum munus regendi Ecclesiam universam. Ergo. Apposite Chrysostomus. " Cur sanguinem effudit (Christus)? Ut has emeret oves quas Petro et successoribus eius tradidit. „ (*De Sacerdotio*, lib. 2.) Et Bernardus. " Tu es, cui claves traditae, cui oves concreditae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? ex verbo Domini; cui non dico Episcoporum, sed et Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves. *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis aut certi regni? *oves meas*, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. „ (*De consideratione ad Eugenium* III. lib. 2. n. 15.)

Argumentum IV. Proponitur a Conc. Vaticano in Const. *Pastor aeternus*, in prooemio, depromptum ex

unitate Ecclesiae. Illud pulcherrime et nervose evolvit Angelicus Doctor. "Summa potestas regiminis fidelis populi ad episcopalem pertinet dignitatem. Manifestum est autem quod quamvis populi distinguantur per diversas dioeceses et civitates, tamen, sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum christianum. Sicut igitur in uno speciali populo unius Ecclesiae requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur quod unus sit totius Ecclesiae caput. Item: Ad unitatem Ecclesiae requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea quae fidei sunt contingit quaestiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo, ad unitatem Ecclesiae conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiae praesit... Adhuc: Nulli dubium esse debet quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem *reges regnant et legum conditores iusta decernunt.* Prov. viii. 15. Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui est pax. Pax enim et unitas subditorum est finis regentis: unitatis autem congruentior causa est unus quam multi... Si quis autem dicat quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim quod omnia ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos qui se obtulit in ara crucis et cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur. Et tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem, *Pasce oves meas*, Ioan. xxi. 17.; et ante passionem, *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Luc. xxii. 32.; et ei soli promisit, *Tibi dabo claves regni caelorum*, Matth. xvi. 19., ut ostenderetur potestas

clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiae unitatem. „ (4. *Cont. Gent.* c. 76.) (1)

Corollaria. Ex praestituto Petri primatu, et argumentis quae adhibuimus, haec legitima consecutione deducuntur.

---

(1) Hoc argumentum passim Ecclesiae Patres urgent. Praeter Optatum Milevitatum paulo ante relatum (pag. 99), Cyprianus ita loquitur. " Ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. „ (*De unitate Ecclesiae*, n. 4.) Hieronymus. " Licet super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio. „ (Lib. 1. *Contr. Iovinianum*). Gelasius 1. " Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Num quidnam reliqui sancti et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, et una esset Ecclesia cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius Redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice nutriremur. „ (Ep. 14.) Leo M. " Magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in provinciis singulis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: et rursus quidam in maioribus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluerent, et nihil unquam a suo capite dissentiret. „ (Ep. 84.) Est vero diligenter observandus modus plane singularis quo constanter Petrus exhibetur in Evangelio aliisque libris N. T. In catalogis Apostolorum Matth. x. 2., Marc. iii. 16., Luc. vi. 14., Act. i. 13, Petrus semper primo loco ponitur. Quod etiam apparet Marc. i. 36., Luc. viii. 45., ix. 32., Act. i. 14., ii. 37., v. 29. Petrus a Christo specialiter honoratur. Nam Christus ei soli novum nomen indidit, Marc. iii. 16., Ioan. i. 42.; in eius domo habitare solebat quando morabatur Capharnaum, Matth. viii. 14., Marc. i. 29., Luc. iv 38.; item ex navi Petri docebat, Luc. v. 3. Miraculoso modo Christus offert staterem, quem Petrus solveret pro Christo et pro seipso, Matth. xvii. 26., cuius rei occasione orta contentio inter discipulos, quis eorum futurus esset maior in regno caelorum, Matth. xviii. 1. Post resurrectionem mulieres ab Angelis mittuntur iis verbis, *Dicite discipulis eius et Petro*, Marc. xvi. 7. Christus Petro apparet speciali apparitione, Luc. xxiv. 34, 1. Cor. xv. 5. Petrus, quoties Apostoli sunt simul, semper ut praeses exhibetur, et omnium nomine

I. Potestas ligandi et solvendi, de qua MATTH. XVIII. 18., promissa Apostolis, refertur ad praepositos Ecclesiae. Modus autem, quo illa potestas sit eis conferenda, hoc Matth. loco non declaratur. Ex altera autem specialissima promissione uni Petro facta MATTH. XVI. et IOAN. XXI. 17. adimpleta, constat priorem potestatem ligandi et solvendi praepositis Ecclesiae promissam, eis non conferri neque ab eis exerceri nisi dependenter a Petro. Apposite B. Thomas. " Quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi, tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere. Propter quod etiam ei dixit singulariter, LUC. XXII. 32. *Confirma fratres tuos*; et IOAN. XXI. 17. *Pasce oves meas.* „ (4. *Dist.* 24. q. 3. a. 2. solut. 3. ad 1.) Id quoque dicito de potestate quam significavit Christus MATTH. ult., et IOAN. XX. 21, 22, 23. Quod vero asseritur EPHES. II. 20., ubi dicitur *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*, refertur ad doctrinam fidei, quae quidem non est alia a doctrina revelata quam promulgarunt Prophetae in V. T. et Apostoli in N. T., quaeque optime assimilatur fundamento quod est prima pars aedificii, sicut fides quae est initium salutis et totius iustificationis. Ceterum hoc fidei fundamentum consurgit et firmatur in petra seu rupe illa, contra quam ait Christus tartareas portas non esse praevalituras, h. e. in Christo capite invisibili, eiusque vicario visibili qui est Petrus.

II. Petrus primatum non solius honoris, sed verae propriaeque iurisdictionis in Ecclesiam universam accepit

---

loquitur. Ita in electione Matthiae ACT. I.; in die Pentecostes, ACT. II.; coram principibus et senioribus Iudaeorum, ACT. IV. Ipse primus gentes in Ecclesiam recipit, ACT. X.; ipse primus rem definit in concilio Apostolorum, ACT. XV.; ipse universas Ecclesias visitat et confirmat, ACT. IX. 32 sqq. Cum Petro Paulus confert suam specialem missionem ut ab eo approbetur. GAL. I. 18. Petrus Pauli epistolas specialiter commendat, 2. PETR. III. 15. 16. In summa ubique in Scripturis N. T. primitiva Ecclesia sub uno capite, Petro, apparet qui vices Christi teneat in eius universali regimine.

a Christo directe et immediate in ceteros Apostolos, sive singulos, sive omnes simul. Haec proinde iurisdictionis potestas, in ratione supremae potestatis, est plena, ordinaria, atque immediata in Ecclesiam universam, atque adeo in omnes fideles sive distributive sive collective sumptos. Ita Vaticana Synodus Const. *Pastor aeternus*, c. 1. et 3. Quod quidem ex Evangelii testimoniis quae attulimus manifeste consequitur. Ex quo illud etiam patet, Ecclesiae regimen a Christo institutae esse simplicem *monarchiam* nullo democratiae aut aristocratiae temperamento diminutam. Cf. quae dixi [*Ph. Mor.* 462, 587, VI, VII.]

III. Petrus accipiendo claves Ecclesiam dicitur *repraesentasse iuridice*, non ex Ecclesiae delegatione, sed ex intrinseca ratione sui muneris quo divinitus totius Ecclesiae pastor est constitutus, quemadmodum paterfamilias dicitur repraesentare familiam, et Abraham, pater omnium credentium, eos omnes ex Dei ordinatione repraesentavit, cum factae sunt ei promissiones, Gal. III. 6 sqq. Hoc sensu inquit Augustinus: *Ecclesiae Petrus Apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam.* (Tr. ult. *in Ioan.* n. 5.) Item Fulgentius. " Poenitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat, cui Deus in persona Beati Petri ligandi solvendique tribuit potestatem. „ (*De fide*, c. 10.) Quod dixerat etiam Tertullianus: " Memento, claves Dominum Petro et per Petrum Ecclesiae reliquisse. „ (*Scorp.* c. 10.)

IV. Innocentius X. die 29 ian. 1674. optimo iure tanquam haereticam damnavit propositionem qua asseritur aequalitas SS. Petri et Pauli. Cf. Enchir. Denzinger n. 965. Item Kilber (*De principiis*, n. 158, 159). Quod vero spectat reprehensionem Petri per Paulum Gal. II. 11., minime adversatur Petri primatui, siquidem et inferiores quandoque possunt debita cum reverentia superiorem fraterna correctione admonere, ut observat S. Thomas (*Summa th.* 2. 2ae q. 33. a. 4). Qua in re ita humilitatem Petri extollit Gregorius M. " Se etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sectator minoris sui, ut etiam in hoc praeiret, quatenus qui primus

erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate. „ (Lib. 2. Hom. 6. *in Ezech.* n. 9.) Itemque Cyprianus. " Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter sibi assumpsit, ut diceret se primatum tenere, et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. „ (Ep. 71. *ad Quintum.*)

THESIS XVII.

Petrus ex Christi instituentis ordinatione perpetuos habet in primatu successores. Hanc porro successionem, praeter Romanum Episcopum, nemo iure sibi vindicare potest.

Probatio I. partis. Optime quasi corollarium colligitur ex thesi superiori. Nam omnia argumenta, quae protulimus, manifeste evincunt, primatum a Christo promissum et concessum Petro non fuisse quasi privilegium personale et extraordinarium, sed munus ordinarium in successoribus duraturum. *Quod autem*, ait Vaticana Synodus, *in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est.* (Sess. 4. c. 4.) Id manifestius apparebit, si argumenta singula thesis superioris ad rem praesentem transferantur.

I. Verba illa Matth. xvi. *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, quibus Ecclesiae perennis duratio praedicitur, vel referuntur directe ad petram super quam Ecclesia Christi consurgit, vel referuntur directe ad Ecclesiam quae in petra illa consurgit. Confer quae dixi (pag. 69 nota). Si primum, immediate colligitur quod modo asserimus: quandoquidem *petra* haec, adversus quam

tartarea molimina non sunt praevalitura, ipsa est primatialis Petri auctoritas, quae propterea, sicut Ecclesia, ad finem usque seculorum perdurabit. Si secundum, perennitas, quae his verbis directe promittitur Ecclesiae, indirecte quoque ad petram spectat super quam Ecclesia est aedificata: nam tartareae vires tum maxime praevalerent adversus Ecclesiam, cum, remota petra super quam consurgit, eam funditus destruerent. Quare optime Origenes. *Non exprimit* (Christus) *utrum petrae non praevalebunt, in qua aedificat Christus Ecclesiam; aut Ecclesiae, quam aedificat super petram. Tamen manifestum est, quia nec adversus petram, nec adversus Ecclesiam portae praevalebunt inferorum: nam si praevalerent adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam praevalerent.* (In c. 16. *Matth.*)

II. Id quoque apparet in altera promissione Luc. xxii. 32. Nam munus confirmandi fratres, quod Petro ex Christi commissione competit, non refertur tantum ad ceteros Apostolos, quatenus hi tantum a Petro essent confirmandi, verum etiam, quin et praecipue, successores Apostolorum in cura pastorali respicit. Hoc enim praesidium multo magis necessarium est Ecclesiae repraesentatae ab Apostolorum successoribus et ex ipsis conflatae, quam Ecclesiae repraesentatae ab ipsis Apostolis et ex ipsis solis constanti. Quod optime notavit Bossuetus (*Medit. diei* 72.) his verbis. " Debebat semper in Ecclesia adesse Petrus, qui suos fratres confirmaret in fide. Id remedium erat opportunum, ut sententiarum unitas servaretur, quam Salvator omnium maxime expetebat; et haec auctoritas tanto magis erat necessaria sub Apostolorum successoribus, quanto horum fides minus erat firma, quam illa ipsorum Apostolorum. „

III. Ecclesia nequit aliam formam regiminis servare praeter eam quam in sui aedificatione habuit a Christo. Atqui ex Ioan. xxi. demonstravimus, Ecclesiam constitutam esse a Christo ovile unum sub uno pastore, ut omnes agni et oves a Petro Christi vicario pascerentur. Ergo semper ita permanere debet, atque adeo cura pastoritia Petri deficere non potest. Apposite Leo M. " De

toto mundo unus Petrus eligitur, qui universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus praeponatur: ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. „ (Serm. 3. *de Assumpt. sua.*)

IV. Primatiale munus in Ecclesiam universam in eum finem fuit a Christo promissum et collatum, ut Ecclesiae unitas servaretur et demonstraretur. Atqui Ecclesiae unitas perpetua est et indeficiens, sicut ipsa Ecclesia. Ergo perpetuum etiam et indeficiens esse oportet munus primatiale Petri in Ecclesiam universam. Cf. testimonia Patrum quae adduxi [pag. 110 nota].

Probatio II. partis. Praeprimis satis colligitur ex priore. Nam ex iis quae diximus duo patent. Primum, quavis aetate legitimum Petri successorem, in munere primatiali, non esse nisi unum sive unicam personam. Si enim plures episcopi Petro simul succederent in primatu, id fieret vel a singulis in partes, vel indivisim et a quolibet in solidum, vel ab omnibus in modum unius cuiusdam collegii seu personae moralis. Haec omnia repugnant, tum quia Ecclesiae unitatem dissolvunt, tum quia tollunt primatus rationem a Christo instituti, sub forma videlicet simplicis monarchiae. Alterum, ex priori consequens, est, eiusmodi successorem legitimum sedem determinatam sibi vindicare. Neque enim aliter agnosci posset, atque adeo neque Ecclesia. Iam si haec ita se habent, unus Episcopus Romanus dignitatem legitimi successoris Petri in primatu iure sibi adsciscere potest. Pro alia enim persona vel sede nullum valet argumentum alicuius vel minimae probabilitatis ad hoc asserendum. Quare nemo hanc successionem Romano Episcopo abnuit, quin vel munus primatiale ipsius Petri, vel perpetuam huius muneris durationem in Ecclesia simul inficietur. Accedit testimonium totius Ecclesiae in prima sua aetate, priusquam schismata serpere coeperint. Quod quidem triplici via ostendi potest.

Argumentum I. Ducitur ex fide Ecclesiae Occidentalis, prout apparet ex luculenta Patrum testificatione,

quos hic exscribimus, compluribus omissis qui facile citari possent.

Irenaeus. " Traditionem itaque Apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui velint vera videre... Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo... praeterquam oportet colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (al. potentiorem) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.* „ (Lib. 3. c. 3.)

Cyprianus. " Quibus (asseclis pseudoepiscopi Fortunati) etiam non satis fuit ab Evangelio recessisse..., post ista adhuc insuper, pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent, et *ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare, *eos esse Romanos quorum fides, Apostolo praedicante, laudata est*, Rom. 1. 8., *ad quos perfidia habere non possit accessum.* „ (Ep. 55. *ad Cornelium Papam* n. 14.) Cf. aliud testimonium ante exscriptum [pag. 110 nota].

Ambrosius. " Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra: *inde* (ex Ecclesia Romana) enim in omnes *venerandae communionis iura dimanant.* „ (Ep. 11. *ad Imperatorem*, n. 4.) Cf. aliud testimonium [pag. 104.]

Hieronymus. " Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A sacerdote victimae salutem, a pastore praesidium ovis flagito. Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. *Ego nullum primum, nisi Christum, sequens Beatitudini tuae, id est, cathedrae*

Petri, *communione consocior*. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, antichristi est.. In tres partes scissa Ecclesia (in Syria) ad se rapere me festinat... Ego interim clamito, si quis cathedrae Petri coniungitur, meus est. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi haerere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam... ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. „ (Ep. 15. n. 2., et Ep. 16. n. 2. *ad Damasum Papam.*)

Augustinus. " Erat Carthago civitas ampla et illustris... unde non mediocris utique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et Romanae Ecclesiae, *in qua semper Apostolicae cathedrae viguit principatus*, et ceteris terris unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum, etc. „ (Ep. 43. al. 162. c. 3.) Lege etiam quinque Epistolas gravissimas in causa Pelagiana, inter Augustinianas 175, 176, 177, 181, 182. (Migne to. 2.)

Vincentius Lirinensis. " Cum ergo undique ad novitatem rei (erroris rebaptizantium) cuncti reclamarent, atque omnes quaqueversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatae memoriae Papa Stephanus, *Apostolicae sedis antistes*, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris, restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, *quantum loci auctoritate superabat.* „ (*Commonit.* n. 6.)

Petrus Chrysologus. " In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: *quoniam beatus Petrus*, *qui in propria sede et vivit et praesidet*, *praestat quaerentibus fidei veritatem.* Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanae civitatis Epi-

scopi, causas fidei audire non possumus. „ (Ep. *ad Eutichen*, 25 inter ep. S. Leonis.)

Leo M. " Ad beati Apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiae eidem a Domino commendata dilectio, Ioan. xxi. 15...17., etiam ex nostra dispensatione deposcitur... Subiungit autem se non solum apostolica, sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi suae praeesse non desinit, et indeficiens obtinet cum aeterno sacerdote consortium. Soliditas enim illa, quam de petra Christo etiam ipse petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes. „ (1) (Serm. 5. c. 2, 4.)

Argumentum II. Ducitur ex fide Ecclesiae Orientalis. Quae quidem etiam ex testimoniis Patrum proxime allatis satis apparet. Nam Patres, quorum testimonia protulimus, aperte loquuntur de successione Romanorum Pontificum in Petri primatum, tamquam de re in tota Ecclesia notissima. Ceterum speciatim et luculenter id confirmatur ex actis authenticis Concilii III. et IV. Oecumenici, h. e. Ephesini in causa Nestorii, et Chalcedonensis in causa Eutichetis.

Concilium Ephesinum. Haec speciatim notentur.

I. Nestoriana haeresis, de dualitate personarum in Christo, in Oriente orta est, et in solo Oriente fautores et propugnatores habuit, extra fines proinde Romani Patriarchatus. Nihilominus Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus (qui ab initio inter omnes Patriarchas Orientales primum ordine locum semper obtinuit), Romani Pontificis definitionem expostulat et regulam, qua et ipse Cyrillus et ceteri omnes Episcopi Orientales regerentur in servanda vel respuenda communione Nestorii. Hic porro erat Epi-

(1) Sensus est. Episcopalis dignitas in sede particularis Ecclesiae Romanae iuncta est cum apostolica dignitate universalis Ecclesiae pastoris, quam Petrus a Cto accepit Ioan. xxi; atque ita indeficiens habet cum Christo aeterno sacerdote consortium, propterea quia soliditas illa, qua Petrus factus est petra a Christo petra, transit in singulos Petri haeredes. (Cf. Serm. 3. c. 3, 4. Serm. 82. c. 1. Ep. 6. c. 2. Ep. 10. c. 1, 2.)

scopus Constantinopolitanus, adeoque extra fines tum Romani tum Alexandrini Patriarchatus. Nemo non videt totam hanc appellationem, in causa fidei gravissima, non potuisse dirigi ad Romanum Episcopum, nisi ut ad eum qui supremam auctoritatem haberet in Episcopos omnes Orientales, etiam Patriarchas.

II. Romanus Episcopus, Caelestinus, Cyrillo rescribens, non solum formam, et modum agendi contra Nestorium praescribit, sed Cyrillum vicarium suum creat ad reiiciendum Nestorium ipsum a communione universalis Ecclesiae. Quod quidem praestat non quasi opinando, aut quid ipse sentiat declarans, sed ut iudex supremus et cum auctoritate coactiva suprema. Theodosius iunior Imperator, a Cyrillo rogatus, convocavit Concilium ad sententiam latam a Caelestino exequendam. Tres pontificii legati, Arcadius et Proiectus Episcopi, et Philippus presbyter, ad Concilium missi hoc habuere mandatum. " Cum, Deo nostro, sicut credimus et speramus, auctore, ad destinata vestra caritas venerit loca, ad fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium vestrum omne convertite, et quidquid in eius videritis arbitrio facietis. Et auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri debere mandamus. Siquidem et instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur ut interesse conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debetis, non subire certamen. „

III. Episcopis in Synodo Ephesi congregatis, priusquam tres Legati advenissent, Cyrillus in ea praesidet ut Caelestini Vicarius. Re diligenter examinata, Nestorioque post trinam evocationem necdum comparente, Patres in 1ª Conc. actione sententiam depositionis ita pronuntiant. " Deprehendimus itaque... illum (Nestorium) impie sentire et praedicare, coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi Patris nostri, et comministri Caelestini, Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. „ Interim adveniunt Legati pontificii. In actione 2ª et 3ª praelectis Caelestini litteris, et gestis 1ae actionis examinatis, omnia tanquam secundum ca-

nones acta probant, damnantque Nestorium. In qua damnatione Philippus ita dixit. " Nulli dubium, immo seculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiae Catholicae fundamentum (gr. ὁ θεμέλιος) a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata ipsi data est. Qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem successor et locum tenens, sanctus beatissimus Papa noster Caelestinus Episcopus, nos ipsius praesentiam supplentes, ad hanc sanctam synodum misit... Firmum ergo est iuxta omnium Ecclesiarum decretum (nam orientalis et occidentalis Ecclesiae sacerdotes, vel per se, vel certe per suos legatos sacerdotales, huic consessui intersunt) quod in ipsum pronuntiatum est... Quamobrem intelligat Nestorius, se a communione sacerdotali Ecclesiae Catholicae alienum esse. „ Philippum excepit Arcadius et Proiectus. Deinde, cum Cyrillus legatos rogaverit ut actis subscriberent, iisque annuentibus, statim " Sancta Synodus dixit: Cum Arcadius et Proiectus.... et Philippus.... consentanea sunt locuti; consequens est, ut promissis suis satisfacientes, etiam subscribendo acta confirment. Proinde actorum commentarii ipsis exhibeantur. „

Concilium Chalcedonense. Compluribus aliis omissis, quae ex historia huius Concilii in rem nostram plurimum faciunt, haec tantum notamus quae primatum Romanae Sedis luculenter commonstrant.

I. Leo M. (ad quem non solum S. Flavianus, in latrocinio Ephesino sub impio Dioscoro an. 449 calcibus pugnisque concisus, sed ipse Eutiches iampridem appellaverant) regulam rerum definiendarum ita proponit in sua Epist. ad Synodum Chalcedonensem. " In his fratribus Paschasino et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet praesidere (gr. προεδρευεῖν); non abiuncta a vobis praesentia mea, qui nunc in vicariis meis adsum, et iamdudum in fidei Catholicae praedica-

tione (1) non desum. Ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat: nec liceat defendi quod non licet credi: cum... plenissime et lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia et sincera confessio. „

II. Ipso 1ae Actionis initio Paschasinus Legatus surrexit et dixit. " Beatissimi atque apostolici viri Papae urbis Romae, qui est caput omnium Ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, in quibus censuit interloquendum, ut Dioscorus non sedeat in Concilio; sin autem hoc facere aggrediatur, eiiciatur. „ Causam huius sententiae dat alter e Legatis. " Iudicii sui necesse est eum (Dioscorum) dare rationem, quia cum personam iudicandi non haberet, praesumpsit, et Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nusquam factum est, nec fieri licuit. „ Tum vero, toto negotio Dioscori diligentissime perpenso, et Synodo Legatorum sententiam exposcente, illico " Paschasinus... et cum ipso Lucentinus... et Bonifacius... tenentes locum sanctissimi et beatissimi Archiepiscopi Apostolicae Sedis magnae et senioris Romae Leonis, pronuntiaverunt... Sanctissimus et beatissimus Archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per praesentem sanctam synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido Catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum, nudavit eum (Dioscorum) tam episcopali dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio. „ Sequuntur interlocutiones Patrum huic sententiae concordes.

III. Post fidei definitionem ex praescripta regula a

(1) His verbis meminit celebrem fidei expositionem de Mysterio Incarnationis in sua Epistola dogmatica ad S. Flavianum, quae in 2ª Actione Synodi Chalcedonensis lecta fuit et tanto plauso excepta.

Leone M. editam, ac postquam Legati Apostolici egressi sunt a Concilio, subdolus ille can. 28. conditus fuit Act. 15. a 190 circiter Episcopis qui remanserant, quo ampliabatur decretum Cpni I. de praeeminentia Sedis Cpnae. Restiterunt fortiter Legati. Episcopi tamen illi a Leone confirmationem canonis expostulant *ut vigorem haberet*, ac simul fatentur Romanum Pontificem constitutum esse *interpretem vocis* seu doctrinae S. Petri, eumdem praeesse in Concilio per suos legatos *ut caput membris*, eique a Deo commissam *custodiam vineae* sive Ecclesiae. Quibus aliisque verbis clare agnoscunt necessitatem confirmationis Pontificis Romani, ut canon ille vim legis haberet. His non obstantibus, Leo M. canonem non recipit, *sed per auctoritatem beati Apostoli generali prorsus definitione cassat.*

Argumentum III. Est ex manifesta praescriptione. Nam ex testimoniis Patrum et Conciliorum quae retulimus perspicue patet, Ecclesiam tum Occidentalem tum Orientalem, seculo V. ineunte, in hac persuasione fuisse, Romanum Episcopum, tamquam legitimum successorem B. Petri, totius Ecclesiae curam primatialem a Christo habuisse. Quocirca si vera esset sententia adversariorum, totius Ecclesiae fides, tempore inter primum et quintum saeculum interiecto, in hac re prorsus fuisset immutata: secus enim fides de successione Romanae Sedis in Petri primatum esset apostolica et divina, ut nos dicimus. Iam vero istiusmodi immutatio, quam adversarii comminiscuntur, est historice omnino improbabilis ac moraliter impossibilis, duplici de causa.

I. Mutatio haec, sive eam subito, sive paullatim factam esse dixeris, imprimis induci non potuit, quin ubique, praesertim a Clero et Episcopis, clare adverteretur. Nam agitur de facto valde perspicuo et illustri: agitur de mutatione gravissimi momenti, ex qua tota Ecclesiae constitutio pendet: agitur de mutatione universali quae universum Occidentem et Orientem invaserit. Istiusmodi mutatio praeterea Episcoporum summe intererat, siquidem Ecclesiae cuidam particulari, Romanae, a qua prius supponuntur independentes, sicut capiti supremo subiici debuissent. Accedit quod priora illa secula erant ita ex-

culta, quod ipsi adversarii fatentur, ut talis ac tanta mutatio nequaquam induci potuerit clanculum et per fraudes, caligine universalis ignorantiae favente: necdum enim tunc extiterant causae illae luctuosae quae in aetate media tot tenebras induxerunt.

II. Ex alia parte est moraliter impossibile ut in re huiuscemodi supponatur mutatio adeo universalis. Nulla enim eius existit mentio a nullo Patre, a nullo historico antiquo, sive graeco, sive latino. Praeterea, non potuissent non reclamare Episcopi, sive boni, sive mali. Boni quidem ex gravissima immutatione totius constitutionis Ecclesiae a Christo fundatae: mali vero ob manifestum praeiudicium contra propriam independentiam. Adde hos Episcopos fuisse diversarum linguarum, morum, locorum, et in omnibus fere, una fide et uno cultu divino exceptis, dissimilium. Merito igitur cum Tertulliano in re gemina concludimus. *Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae* (Ecclesiae) *in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* (Praescript. c. 28.)

Coroll. I. **Ius divinum Ecclesiae Romanae quoad successionem in primatu.** Ex hac et superiori thesi primo perspicue infertur, divinum esse ius ipsum primatus quo Romana universam regit Ecclesiam. Est enim illud ipsum ius primatus quod Christus contulit B. Petro, quod quidem, utpote perpetuum, in legitimis Petri successoribus perseverat. Confer Vaticanum in Const. *Pastor aeternus.* (Enchir. n. 1670, 1671, 1672.) Utrum vero non solum *ipsum ius primatus*, vero etiam *ius ad primatum*, quod competit Romano Episcopo, dicendum sit divinum, non aeque certum est. Confer de hac re Kilber (*De Principiis theol.* n. 168, 173, 174.) Suarez (*De Fide*, Disp. 10. sect. 3. n. 9 sqq.)

Coroll. II. **De vi ac ratione primatus Romani Pontificis.** Infertur praeterea, quae sint munera in adstructo iure primatiali Romanae sedis contenta. Declarantur in cit. Const. Vaticani, c. 3.

I. Potestas primatialis Romani Pontificis est vera

eaque suprema potestas *iurisdictionis ordinariae et immediatae*: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno pastore.

II. Ius plenum competit Romano Pontifici, ut in sui muneris exercitio libere communicet cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quae communicatio proinde nec licite impediri potest a seculari potestate, neque huius placito eget ut quae a Romano Pontifice vel eius auctoritate constituuntur vim et valorem habeant.

III. Romanus Pontifex est iudex supremus fidelium et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad eius iudicium recurri potest: eius vero iudicium a nemine retractari potest, neque ab eo ad auctoritatem aliam appellari.

Notanda pro solutione difficultatum. Confer de hac re Kilber (*De Principiis*, n. 157, 159, 172, 178, 179, 184... 189.) Speciatim vero haec notentur.

I. Duplex dignitas distinguenda est in Petro, nempe dignitas *Apostoli*, et dignitas *Principis Apostolorum*, seu visibilis capitis Ecclesiae. Ad priorem dignitatem per se spectabat ordo sacerdotalis et episcopalis, item universalis iurisdictio qua ubique terrarum praedicare poterat Evangelium, fundare Ecclesias, ac cetera munera ecclesiastica exercere. Dignitas vero principis Apostolorum est ipse primatus de quo agimus. Dupliciter differunt. Prior dignitas ex aequo communis erat singulis Apostolis: altera unius Petri propria. Item prior dignitas erat extraordinaria, neque vi successionis in episcopos transitura: altera erat ordinaria ac perpetuo in successoribus Petri, Episcopis Romanis, permansura. Ex quo duo alia discrimina sequuntur. Primo: ceteri Apostoli, Petro se-

cluso, corpus proprie dictum nec effecerunt nec efficere potuerunt. Cum enim ille omnium rector creatus esset, non potuerunt in unum coniungi et ut corpus iurisdictionem exercere, nisi in Petro et sub Petro coniungerentur. Quare Ecclesiae, quas fundabant, non erant, ut ita dicam, per se subsistentes; siquidem existebant tamquam partes universalis Ecclesiae, cuius caput erat Petrus. Secundo: Petrus, qua Princeps Apostolorum et caput totius Ecclesiae, aliis Apostolis potuit praecipere, ex. gr. huic vel illi Apostolo provinciam assignando: item poterat leges universales condere pro tota Ecclesia. Quorum neutrum dici potest de aliis Apostolis.

II. In Episcopatu, a Christo instituto, triplicem unitatem spectare licet. Prior est unitas *totius potentialis*, cuius hoc est proprium, ut secundum completam sui rationem sit in uno, in aliis autem secundum aliquam tantum sui participationem. Hic modus unitatis invenitur in *episcopali iurisdictione*, quippe quae plenarie invenitur in Romano Pontifice, et secundum partem sollicitudinis in Episcopis particularium Ecclesiarum. Altera est unitas, quasi specifica, *totius universalis*: quod quidem secundum perfectam sui rationem invenitur in singulis suis partibus subiectivis de quibus praedicatur. Haec unitas apparet in *ordine episcopali*. Singuli enim consecrati episcopi sacerdotium eiusque apicem aequaliter nanciscuntur. Tandem considerari etiam potest unitas quasi numerica *totius integralis*, si episcopatus consideretur in concreto et adaequate in collectione omnium episcoporum quibus Ecclesia regitur. Haec est unitas compositionis eaque organica, qua videlicet episcopi omnes communicatione ecclesiastica inter se et cum centro huius unitatis, Romano Pontifice, iunguntur, ut hac communione unum indivisum corpus Ecclesiae constituant et commonstrent. De hac postrema unitate intelligendus videtur Cyprianus, quando ait: *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.* (1)

(1) En integrum Cypriani testimonium, ex quo plenius intelliguntur quae in hac et superiori notatione docuimus. Paucis ostensurus Ec-

III. Aliter succedunt Apostolis Episcopi in cura pastoritia, aliter succedit Petro Romanus Pontifex in cura primatiali. Etenim primo: praeter Episcopum Romanum, nullus Episcopus succedit determinato cuidam Apostolo, ex. gr. Ioanni, vel Andreae. Dicuntur itaque Episcopi

---

clesiae unitatem haec habet. " Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super hanc petran aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni caelorum: et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis; et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis.* Et rursus eidem post resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas.* Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum; si cuius remiseritis peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis, tenebuntur*: tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua unitate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat et dicit: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae.* Cant. vi. 8. Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse confidit? Quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat dicens: *Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus*? Ephes. iv. Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime Episcopi qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus et cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia

successores Apostolorum indeterminate, sive potius collegio Apostolico, quatenus eam curam pastoritiam exercent in regenda Ecclesiae quam exercebant Apostoli, ut in thesi XIV. exposuimus. Secundo: primatus Petri totus haereditaria successione in Romanum Pontificem transfunditur. Contra Episcopi ab Apostolis *singulis ecclesiis* assignabantur, ut in sua quisque Ecclesia resideret eiusque curam gereret, quamvis Apostoli singuli missi fuerint ad omnes homines et ubique potuerint iurisdictionem exercere. Tertio: Romanus Pontifex, legitime electus, iurisdictionem accipit, eamque completam et liberam, immediate a Christo: Episcopi e converso iurisdictionem in proprium gregem (completam saltem et expeditam) non habent immediate a Christo, sed auctoritate Romani Pontificis, prout plenius in tr. *De Legibus*, et *De Ordine* declaratur.

IV. Quae poni possit distinctio inter *Sedem* et *Sedentem* (quam distinctionem innuit Leo M. Ep. 106. c. 5., Ep. 119. c. 3.), relata ad Ecclesiam Romanam, pendet ex explicatione terminorum. Nomine igitur *Romanae Sedis* intelligitur ipse primatus secundum quod iunctus est cum Romano episcopatu. Complectitur propterea omnia iura et privilegia quae constituunt vim et rationem huius primatus. *Sedens* vero appellatur persona illa quae hac episcopali et primatiali dignitate insignitur. Considerari potest materialiter et in recto, vel formaliter et in obliquo,

---

Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen caput est et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa. Illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Haec nos Deo servat, haec filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur: nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem. „ (Lib. *De Unitate Ecclesiae*, n. 4, 5, 6.)

quatenus vel spectatur persona ipsa *quae* hac dignitate insignitur, vel spectatur ea persona *secundum quod* dignitate illa insignitur. Iam ita manifesta est distinctio inter Sedem Romanam et Sedentem *materialiter* consideratum. Atque hoc sensu eam distinctionem adhibuit Leo M. locis cit., ut patet ex illis verbis: *Etsi enim diversa nonnunquam sint merita praesulum, iura tamen permanent sedium.* Sin vero Romana sedes comparetur cum sedente, formaliter et in obliquo considerato, h. e. reduplicative quatenus iure primatus insignitur, una distinctio quae existit ea est, ut sedes eiusque iura sint perpetua, sedens vero iis iuribus non gaudeat perpetuo, sed quamdiu vivit. Propterea Romani Pontifices dicuntur *pro tempore existentes.* Quod quidem est intelligendum, quoties agitur de Papa indubitato, quique per manifestam haeresim a sua dignitate non sit depositus. Quid vero dicendum in casu dubii Pontificis vel haeretici cf. Suarez (*De fide*, Disp. 10. sect. 6.).

V. Can. 6. Nicaeni I. prout habetur in ipsis actibus Concilii, et prout in Chalcedonensi tum a Legatis Romanis tum a factione Anatoliana profertur, sic ad litteram vertitur. *Antiquae consuetudines serventur, quae in Aegypto et Lybia et Peniapoli* (sunt), *ita ut Alexandriae Episcopus omnium istorum habeat potestatem* (seu curam): *quoniam* (gr. ἐπειδή) *et Episcopo Romano hoc* (gr. τοῦτο) *consuetum est.* Sc. approbatur vetus consuetudo, secundum quam Episcopus Alexandrinus iurisdictionem habebat in Aegypto, Lybia et Pentapoli, quia eam consuetudinem recipit et probat Romanus Pontifex. Compendiaria versio huius canonis, quam adhibet Rufinus, nullam habet auctoritatem. Canon 5. Concilii Cpni I. decernens pro Sede Cpna primatus honorem post Romanam sedem, qui canon instauratus et ampliatus fuit in Calcedonensi Actione 15., agit de iure patriarchatus, minime vero de iure primatus. Ceterum tum praedictus canon 5. Cpni, tum ei respondens can. 28. Chalcedonensis nunquam probati fuere a Romano Pontifice. Tandem decreta sess. IV. et V. Concilii Constantiensis de superioritate Concilii supra Romanum Pontificem nullam habent auctoritatem, eo quod nec fuere

legitime facta nec fuerunt unquam a Romana Sede approbata. Electio autem Martini V. facta ab isto Concilio valida fuit et legitima, tum quia superstites Pontifices erant dubii, tum quia Gregorius XII., qui reipsa erat legitimus successor Urbani VI. et Gregorii XI., iam abdicaverat.

THESIS XVIII.

Ecclesia Christi ex sua institutione meritissimo iure sancta praedicatur. Quae quidem sanctitas splendet, tum in essentiali eius organismo, fine et mediis, tum in plurimis eius membris manifeste et eximie sanctis.

Probatur I. pars. Sanctitatem Ecclesiae, quam omnes in Symbolo Apostolico et Patrum profitemur:

I. Praenuntiarunt Prophetae V. T. Ps. II. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Ps. LXXI. 7. *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.* Quam quidem sanctitatem et iustitiam fore eximiam, multis describit Isaias XI. 6 sqq. LIV. 7 sqq. LXII. 3 sqq. quae vaticinia spectare ad Messiam et religionem ab eo instituendam, alio loco ostendimus [pag. 71].

II. Christus diserte promisit in sermone ultimae coenae IOAN. XIV sqq. Spiritus enim, quem pollicitus est se missurum ut perpetuo maneret in sua Ecclesia, est Spiritus tum veritatis tum sanctitatis. Propterea hac oratione concludit. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

III. Apostoli praedicarunt. EPHES. V. 25 sqq. *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae; ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid*

huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Quam doctrinam paulo ante idem Apostolus iam explicaverat EPHES. IV. 11... 16., ubi totum organismum Ecclesiae pulcherrime describit, cuius (Ecclesiae) *est caput Christus ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in* AEDIFICATIONEM SUI IN CARITATE. Huc etiam spectat doctrina eiusdem Pauli Apostoli in Ep. ad ROM. praesertim cap. VIII. ubi declaratur abundantia gratiae quam habemus a Christo, et qua liberati sumus a servitute peccati et veteris legis.

IV. Patres laudarunt. Ex Cyrilli Hieros. sententia Ecclesia ideo etiam appellatur catholica " quod omne hominum genus recto cultui subiiciat, principes et privatos, doctos et imperitos. Ac denique quia generaliter quidem omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus, in factis et verbis et spiritualibus cuiusvis speciei donis. „ (*Catech.* 18. n. 23.) Item Augustinus. " Sanctam Ecclesiam, matrem vestram, tanquam supernam Hierusalem, sanctam civitatem Dei, honorate, diligite, praedicate. Ipsa est quae in hac fide, quam audistis, fructificat et crescit in universum mundum, Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, quae malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communione sacramentorum. „ (Serm. 214. n. 11.) Irenaeus. " Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, ibi et Ecclesia et omnis gratia. „ (Lib. 3. c. 24.) Adde varia nomina quibus Ecclesiae sanctitatem Patres significant. Equidem eam appellant verum genus sacerdotale et benedictum populum Dei, verum semen Abrahae; caelestis Hierusalem filiam et imaginem, paradisum; veram matrem viventium, arcam in qua sancti custodiuntur; os, vestem, plenitudinem Christi, decorem et gloriam vultus eius; torcular fontis aeterni; balneum spirituale, etc. Cf. Murray (*De Ecclesia Christi*, Disp. 8. n. 56.)

Probatur II. pars. In hac parte distinctior tantum conceptus exhibetur eiusdem veritatis quam in priori

probavimus. Adverte igitur cum Aquinate (2. 2ae q. 81. a. 8.), dici sanctificari quidquam propterea quia divino cultui mancipetur, quod quidem exigit munditiem quamdam a sorde, et immobilitatem seu perpetuitatem. (1) Sanctae dicuntur *res* et *personae*. Res quidem eo quod Deo sint consecratae, ut templum, vestes, vasa, vel etiam quia sunt ex se principium quo personae sanctificentur, ut sacramenta. Sanctitas autem personarum seu morum consistit in perfecta coniunctione mentis cum Deo, qua quis seipsum suosque actus Deo applicat seu dedicat; ad quam dedicationem requiritur profecto mundities a peccato, et perseverantia in bono. Ecclesia porro dicitur sancta utroque modo, sanctitate quidem rerum sive reali propter essentialem sui constitutionem, finem et media; sanctitate autem personarum propter eximiam morum honestatem suorum membrorum.

I. Ac primum quidem Ecclesia est corpus Christi, quatenus et a Christo est aedificata, et Christum habet tanquam caput, et Spiritu Christi vivit, ut patet ex testimoniis quae in probatione prioris partis attulimus. Atqui essentialis organismus corporis eiusmodi non potest esse nisi maxime sanctus. Hinc Ecclesia etiam exhibetur ut templum Deo consecratum, prout inquit Apostolus appellans ad verba Levitici. *Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* 2. Cor. vi. 16. Levit. xxvi. 12. Sanctus est igitur essentialis organismus quo Ecclesia instruitur. Huic sanctitati concordant finis et media. Nam finis Ecclesiae est sanctificatio animarum et vita aeterna iuxta illud Luc. i. 74. 75. *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso*

(1) Huic conceptui plane concordat vocis ethymologia. Nam sanctum est quasi *sancitum*. Sancio autem est quasi *sanguine cieo*, sive *cio*. Sanguine rursus victimae et omnia fere, ut inquit Apostolus Hebr. ix. 22. purificabantur, itemque foedera feriebantur, et victimae in divinum cultum offerebantur.

omnibus diebus nostris: et Rom. vi. 22. *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* Ad quem fructum seu finem obtinendum Ecclesia suppeditat media efficacissima sive theoretica sive practica, ut in th. IX. abunde ostendimus.

II. Eximius vero splendor sanctitatis, quae apparet in Ecclesiae membris, luculenter praenuntiatus fuit ab Isaia in testimoniis quae in prima parte protulimus. Ostenditur etiam ex praecipuo discrimine inter Novum et Vetus Testamentum, ut alio loco notavimus [pag. 65]. Tandem exigitur etiam ex ipsa efficacia missionis Christi. Nam cultura, eaque eximia virtutum, fuit meta redemptionis, precum, sollicitudinis, desideriorum Christi Iesu. Necesse est itaque ut in multis hic finis obtineatur, iuxta illud Isai. lv. 10, 11. *Quomodo descendit imber, et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit Verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque voluit, et prosperabitur in his ad quae misi illud.*

Scholion. **Non omnes qui pertinent ad Ecclesiam sunt iusti aut praedestinati.** Nam Matth. xiii, xxii, xxv, Ecclesia comparatur areae triticum et paleam habenti, sagenae pisces bonos et malos complectenti, convivio hospites ornatos et veste nuptiali destitutos excipienti, decadi virginum tot fatuas quot prudentes numeranti; 2. Tim. ii. domui vasa aurea, lignea et lutea, honorifica item et turpia continenti. Accedit ingens absurdum quod secus haberetur. Si enim iusti tantum, aut praedestinati pertinerent ad Ecclesiam, istius membra quoad nos erunt plane dubia et incerta, atque adeo Ecclesia evaderet invisibilis: quod quidem fieri non potest ut alias demonstravimus th. XII. Neque Ecclesiae sanctitas quidquam officit. Non quidem prior modus sanctitatis, qua nempe Ecclesia dicitur sancta ratione sui organismi, finis et mediorum, ut est per se perspicuum. Neque etiam obstat alter modus sanctitatis, quo Ecclesia praedicatur sancta ratione membrorum. Nam haec denominatio non sumitur

ex universitate membrorum, sed a potiore parte, quemadmodum apparet dum scholam nobilem, exercitum fortem, civitatem divitem appellari audimus. Accedit quod illi, qui male vivunt, minime hoc habent ex doctrina quam ab Ecclesia ediscunt, et ex iis quae ex mente Ecclesiae pro cultura morum frequentantur, sed contra ex eo quod haec omnia negligunt. Conf. Kilber (*De principiis*, n. 88, 89.)

THESIS XIX.

Ecclesia Christi proprio nomine Catholica est appellanda, atque huius nominis rationem ex divina promissione iure optimo sibi vindicat.

Probatur I. pars. Constat ex apostolica traditione. Nam in Symbolo apostolico sub *catholicae* nomine veram Christi Ecclesiam profitemur. Nec dubitari potest quin hoc ex Apostolica traditione promanet. Nam Ignatius M., vir apostolicus, in Ep. ad Smyrnaeos ita scribit. *Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia.* Id quoque apparet in inscriptione epistolae Ecclesiae Smyrnensis de martyrio Polycarpi. *Ecclesia Dei quae Smyrnae peregrinatur, Ecclesiae Dei quae Philomelii peregrinatur, et omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae Ecclesiae paroeciis misericordia, pax*, etc. Speciatim vero hoc quasi cognomen appositum fuisse Ecclesiae Christi ad illam distinguendam a coetibus haereticis, antiqui Patres observarunt. Clemens Alex. " Quod enim (haeretici) catholica Ecclesia posteriora sua fecerint conciliabula, non est opus multis probare... Solam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam. „ (7. *Strom.* c. 17.) Tertullianus. " Ubi tunc Marcion?... Ubi Valentinus?... Nam constat illos neque adeo olim fuisse et in catholicae primo doctrinam credidisse. „ (*De praescript.* c. 30.) Cyrillus Hierosol. " Si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras,

ubi sit dominicum; nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas dominicorum nomine honestare nituntur: neque ubi sit simpliciter Ecclesia, sed ubi sit catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est D. N. I. C. „ (*Catech.* 18. n. 28.) Pacianus. " Cum post Apostolos haereses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Si forte ingressus populosam urbem Marcionitas, Novatianos, et ceteros eiusmodi comperissem, qui se christianos vocarent, quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi catholica diceretur? Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor. „ (Ep. 1. *ad Sempron.* n. 4.) Augustinus. " Tenenda est nobis Christiana religio, et eius Ecclesiae communicatio, quae catholica est et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve ipsi haeretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi eam hoc nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. „ (*De vera Religione*, c. 7.)

Probatur II. pars. Catholicum perinde est atque *universale*. Triplici autem significatione haec universalitas Ecclesiae convenit, prout exponunt Patres, nempe quatenus vel universam doctrinam Christi profitetur, vel omnibus temporibus existit ab aevo apostolico usque ad mundi finem, vel per totum orbem est diffusa. Prior significatio ad Ecclesiae unitatem, altera ad eius perpetuitatem refertur. Quare praecipuus et quasi specificus vocabuli usus apud eosdem Patres est qui tertia significatione continetur, quemadmodum inquit Optatus Milev. *Probavimus eam esse Ecclesiam catholicam quae est in toto*

terrarum orbe diffusa. Hanc autem Ecclesiae Christi diffusionem ex divina promissione ei convenire, atque ea de causa meritissimo catholicam appellari *fere omnis pagina* Scripturae commemorat, ut inquit Augustinus (Serm. 46. al. 165. *de Tempore.* n. 33.). Ex V. T. huc faciunt illa eadem testimonia quae ante protulimus th. 1. fin. Quibus accedunt ex Evangelio Matth. VIII. 11. *Venient* (multi) *ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro, et accumbent in regno Dei.* Marc. XVI. 15, 20. *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit... Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Gemina sunt quae leguntur Act. I. 8. Apoc. VII. 9. Haec testimonia Augustinus urget contra Donatistas tum loc. cit., tum latius (Ep. *ad Catholicos*, vulgo *De unitate Ecclesiae*, c. 6 sqq.) ubi notat *nullo interprete indigere canonicarum Scripturarum testimonia quae commendant Ecclesiam in totius orbis communione consistere.* Sermone autem cit. haec eleganter observat in rem nostram opportunissima. " Non omnes haeretici per totam faciem terrae; sed tamen haeretici per totam faciem terrae. Alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt: ipsi se non norunt. Alia secta in Africa, alia haeresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia, verbigratia. Diversis locis sunt diversae: sed una mater superbia omnes genuit; sicut una mater nostra catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos. Non ergo mirum, si superbia parit discissionem, caritas unitatem. Tamen ipsa catholica mater, ipse pastor in ea ubique quaerit errantes, confortat infirmos, curat languidos, alligat confractos, alios ab istis, alios ab illis non se invicem scientibus. Sed tamen illa omnes novit, quia cum omnibus fusa est. Verbi gratia, est in Africa pars Donati, Eunomiani non sunt in Africa; sed cum parte Donati est hic catholica. Sunt in Oriente Eunomiani, ibi autem non est pars Donati; sed cum Eunomianis ibi est Catholica. Illa sic est, tanquam vitis, crescendo ubique diffusa: illi sic sunt, tanquam sarmenta inutilia, agricolae falce praecisa merito sterilitatis suae; ut vitis putaretur, non amputaretur. Sarmenta ergo illa

ubi praecisa sunt, ibi remanserunt. Vitis autem crescens per omnia, et sermenta sua novit quae in illa remanserunt, et iuxta se quae de illa praecisa sunt. Inde tamen revocat errantes: quia et de ramis fractis dicit Apostolus, *Potens est enim Deus iterum inserere illos.* Rom. xi. 23. „ (Serm. cit. n. 18.)

Oppones fortasse. Initio nascentis Ecclesiae, haec certe catholica dici non poterat, siquidem necdum tunc per totum orbem diffundebatur.

Respondeo. Etiam tunc Ecclesia dici poterat et revera nominabatur catholica duplici de causa. Primum, catholicitate *iuris*, tum quia pro toto mundo fuit instituta, non vero pro determinata natione, ut Synagoga; tum quia iam ab initio accepit a Christo ius praedicandi Evangelium in mundo universo; tum quia potestatem habet in terris ad gubernandum universum orbem in iis quae ad salutem pertinent. Praeterea, catholica dici poterat etiam catholicitate *actualis possessionis*, quatenus se habebat quasi arbor recens quidem a Christo insita et nascens, sed quae brevi tempore crescere debebat suosque ramos extendere per orbem universum in eoque fructificare. Nam in moralibus quod parum distat nihil distare videtur, eo vel maxime quod Apostoli a Spiritu Sancto edocti optime sciebant promissiones de universali Christi regno brevi esse adimplendas, atque adeo de eo statuerunt ac si iam actu mundum occupasset. Atque ita significavit Augustinus, cum respondens Petiliano obiicienti eos, qui adversus partem Donati pugnabant, immerito se dici tenere catholicam Ecclesiam, eo quod non totum tenerent, sed in partem cesserint, ita loquitur. " Ego quidem graecae linguae perparum assecutus sum, et prope nihil: non tamen impudenter dico, me nosse ὅλον non esse unum, sed totum, et καθ' ὅλον, secundum totum. Unde catholica nomen accepit, dicente Domino: *Non est vestrum scire tempora quae Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in totam Iudaeam et Samariam et usque in totam terram.* Act. i. 7, 8. Ecce unde catholica vocatur. Sed ita clausis oculis

offendistis in montem, qui ex parvo lapide, secundum prophetiam Danielis, crevit et implevit universam terram, Dan. II. 35., ut nobis dicatis quod in partem cesserimus, et in toto non simus, quorum communio universo orbe diffunditur. „ (*Cont. litt. Petil.* lib. 2. c. 38.)

Instabis. Romanum imperium, in quo diffusa fuit christiana religio, modica pars erat totius mundi. Praeterea semper fuit et etiamnunc extat innumerabilis multitudo infidelium et acatholicorum, quae si comparetur cum multitudine catholicorum, fere evanescere videtur. Ergo Ecclesia Christi non potest titulo universitatis (personarum et locorum) catholica nuncupari.

Respondeo. Propter hanc difficultatem plures theologi existimant, non requiri, ut Ecclesia dicatur catholica, sive universalis quoad locum, eam simul *eodem tempore* esse ubique per totum orbem receptam, multoque minus ab omnibus omnino hominibus agnosci; sed sufficere, si *successive* promulgetur et innotescat omnibus totius mundi provinciis ante finem mundi, saltem nobilioribus et amplioribus, in iisque aliqui saltem recipiant veram Christi fidem et constituant hoc pacto aliquas Ecclesias particulares, quae ita per totum mundum diffusae faciant unam Ecclesiam universalem seu catholicam. Haec responsio admitti potest, si sermo sit de *perfecta diffusione* Ecclesiae per totum mundum, et de *plena adimpletione* vaticiniorum quibus totius mundi haereditas Christo eiusque Ecclesiae est divinitus promissa. Ita certe sentit Augustinus (Ep. 199. al. 80. *ad Hesychium*, *De fine seculi*, c. 12.). Ceterum cum eodem Augustino est addendum, post sufficientem Evangelii praedicationem semper Ecclesiam habuisse et esse habituram splendorem quemdam universalem, quo possit eius dignitas et maiestas cognosci et ab haereticorum turbis discriminari. Quamvis vero non possint certo designari termini huius amplitudinis, haec tamen eiusmodi esse debet, ut Ecclesia, morali quadam universalitate, semper dici possit per totum orbem diffusa. Hac ratione S. Doctor (Ep. 93. al. 48. c. 6, 7, 8.) utitur, ut ostendat sectam Donatistarum non esse veram Christi Ecclesiam, eo quod in una parte Africae sedem haberet. Quod etiam prae-

stitit Optatus Milevitanus (*De schismate Donat.* lib. 2. n. 1.). " Hoc enim, inquit Suarez, imprimis pertinuit ad excellentiam regni Christi, quod non solum in caelo, sed etiam in terra promissum est, quamvis in terra ipsum non esset futurum terrenum seu temporale, sed caeleste seu spirituale. Deinde, quia Ecclesia est a Christo instituta propter salutem hominum, ut per eam multo universalius et abundantius quam antea omnibus tam Iudaeis quam Gentibus communicaretur: et ita oportuit ut statim cresceret, ita ut intra breve tempus in praedicto statu constitueretur, in quo, quantum est de se, omnibus mundi regionibus, vel saltem earum maiori et principaliori parti prodesse posset. Ad hunc autem finem necessarium fuit, ut statim seu quamprimum morali modo posset toti mundo innotescere. Nam, sicut Augustinus (Ep. cit. c. 7.) id urget: *Quomodo confidimus ex divinis literis, accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus et Ecclesiam manifestam?* ita et nos asserimus non potuisse Christum in mundo regnare, nisi fides credentium per totum mundum esset diffusa. „ (*Def. fid.* lib. 1. c. 16.) (1)

Instabis rursus. Asserta Ecclesiae amplitudo sive moralis universalitas videtur contradicere Scripturae asserenti, Luc. xii. 32. *Nolite timere pusillus grex.* Item Matth. vii. 14. *Angusta et arcta via est quae ducit ad vitam et pauci sunt qui ambulant in ea.*

Respondeo. Ecclesia erat vere pusillus grex, quando Christus ita eam appellavit: brevi tamen tempore se extendit per totam terram convertendo in oves ipsos lupos. Sic etiam appellatur Ecclesia *ob humilitatis devotionem*, uti ait Beda (lib. 4. *in Lucam*, c. 54.) Ad aliud vero testi-

---

(1) Cum hac Patrum doctrina parum congruit sententia Bellarmini sic aientis. " Ex quo id sequitur, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clare ostenderetur eam esse unam et eamdem cum illa, quae fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo, quemadmodum nunc quaelibet dioecesis dicitur catholica, quia est continuata cum aliis quae faciunt unam Ecclesiam catholicam. „ (*De Ecclesia*, lib. 4. c. 7.)

monium obiectum iam satisfecit Augustinus ita carpens Petilianum. " Timuisti comparatam multitudini vestrae multitudinem orbis terrarum, et ad paucitatis laudem per angustam viam gradientis te conferre voluisti. Utinam non ad eius laudem, sed ad ipsam viam te contulisses, profecto conspiceres, eamdem paucitatem esse in Ecclesia omnium gentium, sed paucos dici iustos in comparatione multorum iniquorum, sicut in comparatione paleae possunt pauca grana dici uberrimae segetes, quae tamen per se ipsae in massam redacta implent horreum. „ (Lib. 2. c. 45.)

Urgebis denuo. Nihil vetat quin Ecclesia persecutionibus et schismatibus ita opprimatur, ut nomen Christianum in toto fere mundo obruatur: quod saltem concedendum videtur pro extremis mundi temporibus, prout inquit Christus Luc. xviii. 8. *Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?*

Respondeo. Ecclesia tribus modis potest esse alicubi, vel ut dominans, vel ut tolerata, vel ut patiens. Aliquo ex his modis semper Ecclesia erit per totum orbem diffusa, praesertim cum Ecclesia saepe sit magis conspicua, ubi patitur, quam ubi dominatur, ut in primis Ecclesiae seculis manifestum fuit. Verba autem Christi, relate ad postrema mundi tempora, significant, prout exponit Augustinus, *abundantiam iniquitatis* quam tunc futuram Dominus praedixit. " Dubitatio enim, inquit, cuncta scientis nostram in illo dubitationem praefiguravit, quando Ecclesia ex multis, de quibus multum speravit, saepe decepta quod aliter quam credebantur inventi sunt, sic perturbatur in suis, ut de nullo facile boni aliquid velit credere. Ipsos tamen, quorum inventurus est fidem in terra, per totum agrum cum zizaniis crescere dubitare fas non est. „ (Ep. cit. 93. c. 9.)

Coroll. **Summa doctrinae superioris de Ecclesiae institutione.** Ex iis, quae iam statuimus in hac catholica demonstratione, satis intelligi potest qualis sit Ecclesia a Christo instituta ad salutiferam suam missionem pro toto humano genere continuandam. Equidem non pauca addi potuissent, ut Ecclesiae natura ac dotes

penitius intelligerentur. Consulto fuere omissa, tum quia in hac *praeambula* tractatione pro dignitate disputari non poterant, tum quia id unum agimus in praesenti, ut talis notitia de Christi Ecclesia suppeditetur, quae sufficiat ad illam tuto et facile discernendam a coetibus, qui christiano nomine gloriantur, sed proprietatem huius nominis non assequuntur, atque adeo Christi Ecclesia non sunt, sed Synagogae Satanae. Quae porro huc usque disputavimus, satis superque id praestant. Nam vera Christi Ecclesia illa est, quam in Symbolo Patrum fatemur *unam*, *sanctam*, *catholicam* et *apostolicam*: quid autem his quatuor attributis significetur, et qua de causa verae et soli Christi Ecclesiae ex eiusdem Christi institutione addicantur, in propositis thesibus demonstravimus. Haec eadem praeterea deserviunt et sufficiunt ut propriam verae Christi Ecclesiae quasi faciem ostendant atque ob oculos ponant, ne quis decipiatur eamque cum impio aut profano alio coetu confundat. Sunt itaque proprietates simul et notae sub diversa consideratione.

I. Sunt proprietates *quae ex intima Ecclesiae natura per se profluunt*. Nam ad specificam naturam cuiusque societatis constituendam tria concurrunt: propria eius origo, forma, item propria eius membra. Iam vero si quaeratur propria origo Ecclesiae Christi, recte respondebitur assignando eius *apostolicitatem*: siquidem Christus primarius Ecclesiae auctor et quasi architectus eam in Apostolis fundavit et per Apostolos in mundo disseminavit et ad finem usque seculorum est recturus. Forma Ecclesiae duplex est, exterior et interior. Exterior est socialis ille organismus qui reipublicae christianae propriam quasi πολιτείαν et τάξιν constituit. Atque haec exhibetur in Ecclesiae *unitate*, quae monarchica est, fluens ex unitate capitis visibilis, quod est Petrus Christi vicarius eiusque legitimi successores. Forma interior et quasi anima, qua vivit hoc corpus Christi mysticum sive Ecclesia, est ipse Christi Spiritus, qui eam perpetuo inhabitat et vivificat vita gratiae et totius sanctitatis. Ex hoc Ecclesia praedicatur *sancta*. Tandem, universi homines divinitus destinantur ut in hoc corpus inserantur, et complures ex

omni gente, quae est super faciem terrae, reipsa id assequuntur ut huius corporis membra evadant. Propterea Ecclesia dicitur et est *catholica*. (1) Merito igitur haec quatuor, quasi totidem Ecclesiae Christi *propria attributa* considerantur. Si quis vero amplius quaerat, an singula haberi debeant quasi attributa specifica, quae nempe *per se primo* sive convertibiliter conveniant Ecclesiae Christi, affirmandum est, dummodo rite considerentur sub ea ratione qua hactenus ea exposuimus. Ubi enim Petrus, ibi Ecclesia; ubi sanctitas corporis, ibi Spiritus Christi sanctificans, qui non vivificat nisi corpus eius quod est Ecclesia. Ergo unitas et sanctitas sunt proprietates quae singulae uni verae Ecclesiae conveniunt. Idem dicito de Apostolicitate et Catholicitate. Nam Ecclesia Apostolica dicitur quae est ab Apostolis fundata et ministerio Apostolico regitur: quod de sola vera Christi Ecclesia dici potest. Dicitur etiam Ecclesia Christi Catholica, non communi, sed propria quasi cognominatione, quae illam a quovis alio coetu distinguat, ut in th. XIX. demonstravimus.

II. Sunt praeterea haec quatuor totidem notae sive *characteres visibiles et cognitu faciles quibus vera Christi Ecclesia noscatur, et ab aliis coetibus discernatur*. Quod vero has proprietates facit esse eiusmodi, notas sc. verae Ecclesiae characteristicas, hoc est: Unitas corporis sub Christo capite, eiusque in terris vicario et B. Petri legitimo successore; sanctitas membrorum vel manifeste excellens vel miraculis confirmata; catholicitas sive diffusio unius eiusdemque Ecclesiae per totum orbem moraliter universalis; apostolicitas per fundationem ab Apostolis et continuatam pastorum Apostolis legitime surrogatorum successionem in ministerio. Ratio facilis est.

---

(1) In his non annumeravimus Ecclesiae finem, quamvis sit prima et praecipua causa cuiusque societatis. Ratio facilis est. Ecclesiae finis est interior sanctificatio animarum in praesenti aevo et vita aeterna in futuro. Hic vero finis non est *proprius* Ecclesiae N. T. quae est Ecclesia a Christo aedificata, sed est etiam finis Ecclesiae Dei V. T. Nos autem in praesenti loquimur de iis quae sunt propria Ecclesiae Christi, prout etiam distinguitur ab Ecclesia Dei V. T.

Nam hae proprietates Ecclesiae, si ita spectentur, sunt cuique obviae et quodammodo sensibiles; cum nullus sit quin vel ipse examinando dispicere, vel capta passim informatione doceri easdem facile non possit. Sunt praeterea eiusmodi, ut uni verae Ecclesiae Christi convenire possint. Nam quatuor recensitae Ecclesiae notae sunt ipsae eius specificae proprietates prout exterius manifestantur. Proprietas autem specifica totam naturam rei indicat, et cum aliis eiusdem rei proprietatibus per se connectitur. Ergo hae notae, sive collectim, sive etiam singillatim sumptae, uni verae Ecclesiae conveniunt. Quod minime valet de aliis quae adduci possent, uti foret ex. gr. unitas corporis, fidei vel regiminis praecise spectata; veritas, sanctitas vel apostolicitas doctrinae; usus legitimus sacramentorum. Neque enim haec sunt facilia cognitu, neque omnia uni Ecclesiae verae conveniunt.

THESIS XX.

Nullus coetus Christiani nominis, a Romana communione disiunctus, est vera Christi Ecclesia, sed ille dumtaxat, in quo Romanus Pontifex primatum gerit.

Probatio. Haec veritas, ad quam demonstrandam praesens tractatio tota ordinatur, duplici via sive methodo ostendi potest. Consulto dixi duplicem *viam* vel *methodum*: neque enim sunt duo argumenta reipsa distincta, quae mox afferemus, sed unum idemque argumentum duplici explicatione exhibitum. Prior via sive methodus est simplicior, atque omnibus sive doctis sive rudibus accommodatior. Eam passim adhibuerunt Apologetae, atque Doctores scholastici, quando in tr. *De fide* agebant de *evidente credibilitate fidei catholicae*. Summatim exhibetur a Doctore Angelico (*Cont. Gent.* lib 1. c. 6.). Altera via sive methodus, quamvis et ipsa facilis, si caute proponatur, est tamen aliquatenus magis complexa, et

doctioribus accommodatior. Principium quod in priore explicatione assumitur, est sola demonstratio christiana, quin aliud nihil est nisi simplex applicatio christianae demonstrationis ad Ecclesiam quae communionem habet cum Romano Pontifice. In altera vero explicatione supponenda est non solum christiana demonstratio, verum etiam quod ex demonstratione catholica huc usque statuimus. Ut res tanti momenti pro captu omnium exhibeatur, utramque explicationem adhibebimus ad propositam thesim in tota sua luce collocandam.

Prior argumenti explicatio. Ex christiana demonstratione constat religionem a Christo eiusque Apostolis humano generi annuntiatam esse unice veram atque omnibus amplectendam. Quod quidem ex signis credibilitatis, quae in ea demonstratione ponderavimus, cuique manifestum esse potest. Ergo e diversis coetibus, qui Christiano nomine gloriantur, ille unus dicendus est religionem a Christo et Apostolis humano generi annuntiatam reipsa, et non mendaci nomine, profiteri, ad quem spectant illa eadem signa credibilitatis quae divinam Christi et Apostolorum missionem legitime ostendunt. Atqui hoc de solo coetu Christiano, in quo Romanus Pontifex primatum gessit et gerit, merito affirmari potest. Apposite Vaticana Synodus. " Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit ut ipsa, veluti signum levatum in nationes, et ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti

fundamento fidem quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat non deserens nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur: illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. „ (Const. *Dei Filius*, c. 3.)

Altera argumenti explicatio. Methodus in hac explicatione adhibenda, ut iam innuimus, in eo posita est, ut prius cognoscatur, tum Ecclesiae Christi divina institutio, tum eius visibilitas, atque adeo quae sint notae characteristicae quibus ipse Christus suam Ecclesiam praefulgere voluit ut certo discerni possit. Id autem aperte constat ex thesibus in hac demonstratione catholica iam propugnatis. Nihil autem necesse est, ut ad has theses comprobandas supponatur vel divina inspiratio Scripturarum vel authenticum et infallibile Ecclesiae catholicae magisterium. Satis est ut Sacrae Litterae ita usurpentur quemadmodum eas adhibuimus in demonstratione christiana. Quae autem ex Patribus testimonia attulimus, etiam valent, vel ut historica documenta, vel pro humana illa auctoritate quae ex illorum insigni honestate et praecellenti sapientia eis addicitur. Cognita hoc modo tum existentia Ecclesiae a Christo aedificatae, tum qualis ipsa sit et esse debeat ex eadem Christi institutione, manifestum est, e diversis coetibus, qui christiano nomine gloriantur, eum tantum habendum esse uti Ecclesiam a Christo aedificatam, cui soli conveniunt notae characteristicae huius Ecclesiae, nempe unitas, sanctitas, apostolicitas, catholicitas illa, quibus Christus suam Ecclesiam instruxit ut quasi legitima sua sponsa ab universo humano genere dignosci posset. Atqui hoc dici non potest nisi de coetu illo christiano in quo Romanus Episcopus primatum gerit,

atque adeo Ecclesia Romana nuncupatur. Quod ita per partes ostenditur.

Dico I. **Ecclesia Romana, eaque sola, unitatem illam sibi vindicat, qua Ecclesiam a se fundatam Christus instructam esse voluit.** Nam unitas, qua Christus Ecclesiam a se aedificatam instruxit, est unitas monarchiae simplicis, atque adeo suum in terris vicarium, ad caelos ascendens, reliquit Petrum, qui per se et per suos successores foret Ecclesiae visibile caput et supremus moderator. Legitimi autem Petri successores sunt Romani Pontifices. Ergo in solo coetu, qui ut supremum caput agnoscit Romanum Pontificem, ea viget unitas qua Christus Ecclesiam a se aedificatam instruxit. Propositio maior, et minor assumpta fuere abunde demonstratae th. XVI, XVII. Hac de causa Patres hanc capitis unitatem exhibent uti infallibilem distinctivum Ecclesiae Christi, ac nominatim Cyprianus in eo affirmat inveniri compendiosiorem viam veritatis christianae dignoscendae. Cf. testimonia quae adduximus pag. 110, 125.

Conf. 1. In sectis protestantium nulla prorsus viget unitas etiam in iis quae maxime spectant ad fidem et cultum divinum, ut patet ex sectis innumerabilibus in quas scinduntur. Quae quidem scissio per se profluit ex principio liberi examinis in quo tanquam in radice totus protestantismus excrevit. Frustra autem confugiunt ad aliquam umbram unitatis habendam, sive in Scripturis, sive in politico magistratu. Nam Scriptura, privato spirito suscepta et intellecta, scissionem in fide adauget, nedum imminuat, ut constat experientia et historia omnium haeresum. Quo spectat illud Augustini. *Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.* (Tr. 18. *in Ioan.* n. 1.) Magistratus vero politicus nullam habuit a Christo mi sionem in iis quae ad regimen suae Ecclesiae spectant. Si praeterea ipsi demandaretur haec cura, totidem Ecclesiae haberentur quot sunt nationes et principes independentes: in Symbolo autem Apostolico profitemur nos credere *Ecclesiam*, minime vero *Ecclesias.*

Sectae itaque protestanticae sunt totidem synagogae Satanae, quae in hoc unum conspirant, ut, duce Satana, oppugnent iugiter Christi Ecclesiam, ut aiebat Hieronymus. *Qui inter se discrepant in Ecclesiae oppugnatione consentiunt, iuxta illud, quod Herodes et Pilatus inter se discordantes, in Domini passione amicitia foederantur.* (In c. 7. *Isaiae.*)

Conf. 2. Coetus Graeci schismatici ipsi se absciderunt ab illa Ecclesiae unitate quam ante profitebantur. Nam schisma Acacianum, quo primum Ecclesiae Orientis separatae fuerunt a communione Romana sec. V. exeunte, post 30 circiter annos compescuit formula Hormisdae cui subscripserunt omnes Orientis Episcopi ad 2500 fere cum Iustiniano Imperatore, et Patriarchis Cpnis Epiphanio, Ioanne et Menna. Renovato schismate sec. IX. a Photio, et sec. XI. a Michaele Cerulario, illud Graeci rursus sollemniter eiurarunt, tum in Oecumenico Concilio Cpno IV., tum in Oecumenicis Conciliis Lugdunensi II. et Florentino. Quae quidem a fortiori dicenda sunt de Ecclesia schismatica Russica sive Moscovitica. Haec enim discessit ab Ecclesia Romana initio sec. XV. arte pessimi hominis, Phoziey missi a Cyrillo II. patriarcha Cpno, a quo deinceps se seiunxit, praesertim quando Petrus I., abolito ipso patriarchatu Moscovitico, in eius locum suffecit quam ipse appellavit *sanctam synodum permanentem petropolitanam*, cuius caput ipse imperator pro tempore est, qui etiam omnia istiusmodi membra eligit. Haec quae narrando indicavimus, dupliciter et manifeste demonstrant, eiusmodi coetus schismaticos, Graecos et Moscovitos, non pertinere ad Ecclesiam a Christo aedificatam. Nam vel dicendi sunt gravissime errasse, quando per tot secula communicabant cum Ecclesia Romana, istiusque Ecclesiae primatum professione fidei tam sollemni agnoscebant; vel contra tum errare incoeperunt cum ipsi se a pristina communione cum Ecclesia Romana disiunxerunt. Prior optio fieri nullo modo potest. Tunc enim universa Ecclesia sive Orientis sive Occidentis prioribus novem seculis gravissime errasset agnoscendo ut Christi vicarium et totius Ecclesiae caput eum qui tantam dignitatem nullo modo habuisset. Quod certe repugnat indefectibilitati Ecclesiae

quam propugnavimus in th. XII. Ergo isti coetus tunc incoeperunt errare quando schismatici evaserunt. Praeterea, illo eodem ipsissimo iure quo Photius et Michael Cerularius rebellarunt Romano Pontifici, ceteri Episcopi rebellare potuerunt patriarchae Cpno, ut reipsa effecerunt Moscoviti. Idem dicito de singulis fidelibus relate ad suos pastores. Ergo in his coetibus nullum viget iuridicum principium unitatis servandae in fide et cultu divino. Atque huc apprime faciunt verba Tertulliani. *Mentior, si non a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suae morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino; idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.* (*De praescript.* c. 42.)

Dico II. **Sanctitas eximia, quae propria est Ecclesiae a Christo fundatae, non refulget nisi in membris Ecclesiae Romanae.** Nam, ut ante innuimus, sanctitas eximia, quae est primarius et proprius effectus Spiritus Sancti qui unam veram Christi Ecclesiam inhabitat, dupliciter, quavis illusione dempta, conspiciendam se praebet. Primum, ex fructibus sanctitatis manifestis qui in eximio et heroico candore morum refulgent, iuxta sententiam illam Domini, Matth. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Secundo, ex splendore miraculorum, ut etiam promisit Christus, Marc. xvi. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient*, etc. Quanquam enim nihil repugnet ut Deus aliquando miracula faciat etiam per homines malos in testimonium veritatis per eos annuntiatae, ut notavit S. Thomas (*De potentia*, q. 6. a. 5. ad 9.), tamen ordinarie loquendo ad haec opera patranda Deus utitur hominibus sibi coniunctissimis. (1) Age vero eximius iste

(1) " Divinitus conceditur homini miracula facere propter duo. Primo quidem et principaliter ad confirmandam veritatem quam aliquis docet. Quia enim ea, quae sunt fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod

splendor sanctitatis in sola Ecclesia Romana collucet. Ac certe, inspectis certissimis historiae documentis, vel nulli post Christum et Apostolos fuerunt sancti, quod christianae religionis honori ac sensui communi repugnat; vel quicumque sanctitate aut manifeste excellenti aut miraculis confirmata celebres fuerunt, membra Romanae Ecclesiae erant. Id quoque ostendunt canonizationes Sanctorum per intervalla celebratae, quae tanto iudicii rigore aguntur, ut nec evidentia sanctitatis, nec miraculorum insolentia qualiscumque sufficiat, sed quantum humanitus haberi potest probatissima requiratur. Quae quidem incassum exquires apud alias sectas christiani nominis, ex quo a Romana communione praecisae fuerunt. Ecclesia Graeca, antea fertilis mater Sanctorum, post schisma nullum sanctum, nullum virum sanctitate celebrem protulit. Sectae vero protestanticae talia principia profitentur, ut nullum excogitari possit crimen quod iis non cohonestetur. Necessitatem quippe bonorum operum ad salutem, libertatem voluntatis negarunt, Deum peccati auctorem fecerunt, aliasque innumerabiles doctrinas bonis moribus plane adversas statuerunt. Ceterum cuique cordato homini ad aequum iudicium in hac re ferendum satis superque erit, oculos paulisper coniicere in eos quos hae sectae a Romana communione separatae venerantur uti patres. Lutherus, Calvinus, Henricus rex, sacerdotes et monachi mulierosi et principes bonis ecclesiasticis diripiendis inhiantes rebellionem protestanticam crearunt. Qualis etiam fuerit Photius, ob enormia crimina in Synodo generali VIII. damnatus, qualis Cerularius, historia testis

probentur per argumentum divinae virtutis: ut dum aliquis facit opera quae solus Deus facere potest, credantur ea quae dicuntur esse a Deo; sicut cum aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur. Secundo, ad ostendendam praesentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti: ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam: unde dicitur, Gal. III. 5. *Qui tribuit vobis Spiritum Sanctum, operatur virtutes in vobis.* „ S. Thomas (*Summa th.* 3. p. q. 43. a. 1.)

est. Minime profecto est credibile, Deum per istiusmodi legatos humanum genus edocere voluisse!

Neque illud obstat, quod multi etiam inveniuntur in Romana communione, quorum vita minime concordet sive cum doctrina sanctissima quam profitentur, sive etiam cum sacro ministerio quod exercent. Haec quidem manichaei iam catholicis obiecerant: quibus Augustinus optime ita respondet. " Sunt in Ecclesia catholica innumerabiles fideles, *qui hoc mundo non utantur*, *sunt qui utantur tanquam non utentes*, ut ab Apostolo dicitur. Quam enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos praesbyteros, quam multos diaconos et huiuscemodi ministros divinorum sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et maiore praedicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere et in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus praesunt... Fruges in agro, frumenta in area quaerite: apparebunt facile, seseque offerent ipsa quaerentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? Quid ab opimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis? „ (Lib. 1. *De moribus Ecclesiae catholicae*, c. 32, 35.)

Dico III. **Ecclesia, cuius summus Pontifex est Romanus Episcopus, ipsa sola iure catholica nominatur, et ipsa sola reipsa est catholica.**

Prob. 1. pars. Nam Ecclesia, quae nunc obtemperat Romano Pontifici, eamdem servat communionem ac servabat Ecclesia quae catholica cognominabatur ante exortum schisma photianum et protestantismum. Eodem ergo titulo talem agnominationem sibi vindicat. Hoc autem non iniusta nominis usurpatione fit, sed meritissimo iure. Quod quidem satis apparet ex hac ipsa praescriptione qua catholicae compellationem, tamquam propriam et singularem, perpetuo retinuit. Talis enim praescriptio manifesto indicio est, hoc cognomentum haereditario quasi iure esse derivatum ab illa *sancta catholica Ecclesia* quam Apostoli fundarunt, et quam in suo Symbolo credendam nobis tradiderunt. Sicuti etiam in humanis consimilis perpetua cognominis conservatio ostendit proprium genus et

propriam nobilitatem cuiusque familiae. Alii contra coetus, qui christiani etiam vocantur, sed a communione Romana sunt disiuncti, cognomen novum et recentius habent a suis auctoribus aut ab aliquo alio adiuncto derivatum, quod historice demonstrat, eos non ex apostolico traduce, sed ex adulterina fonte fuisse prognatos. Ita Irenaeus de sectatoribus Simonis dixit. " Habent quoque et vocabulum, seu nomen a principe impiissimae sententiae Simone dicti Simoniani. „ (Lib. 1. c. 20.) Itemque Iustinus M. de omnibus haereticis. " Ex novis prodeunt a virorum appellatione, ex quibus unaquaeque disciplina et sententia originem habuit... Ac eorum quidem nonnulli Marciani vocantur, alii Valentiniani, alii alio nomine, a sententiae disciplinaeque principe unusquisque nominatur, quemadmodum etiam unusquisque eorum, qui sibi philosophandum censent, a parente disciplinae nomen philosophiae cui studet sibi imponendum censet. „ (*Dial. cum Tryphone*, p. 26.) Catholica Ecclesia e converso antiquitatem semper observat nullamque novitatem priori fidei contrariam admittit: propterea novo nomine non indiget, sed antiquum semper retinet, et quemadmodum ab aevo Apostolico catholica cognominata fuit, ita eamdem compellationem semper retinuit semperque retinebit.

Prob. 2. pars. Ut ante declaravimus in th. XIX, Ecclesia ex eo praecipue catholica cognominatur quod sit per totum orbem diffusa. Diffusio vero quae, ut loc. cit. declaravimus, postulari potest pro vera Christi Ecclesia, in Romana communione manifeste conspicitur. Si enim spectetur diffusio eius successiva per orbem universum, historice certa est. Nam Ecclesiae per Asiam et Africam olim florentes, sed nunc extinctae, per Americam et Oceaniam recens exortae, per Europam usque huc perstantes, cum Romana sede communionem tenuerunt aut tenent. Praeterea, in Romana communione etiam apparet iugis diffusio permanens per totum orbem. Nam semper prae se tulit splendorem cuiusdam diffusionis moraliter universalis, siquidem in plerisque orbis regionibus semper et constanter ipsa perstitit, vel ut dominans, vel ut tolerata, vel ut patiens. Hac aetate in Europa dimidia fere pars

incolarum Romanam communionem retinet, in America meridionali et centrali longe maxima pars, in America septentrionali et Canada circa 12,000,000, in Africa circa 3,000,000, in Australia et Polynesia circa 1,800,000, in Asia circa 10,000,000. Quocirca eo modo existit, ut a volentibus inveniri possit. Semper praeterea, et ubique conatur, humanis auxiliis plerumque destituta et seculi potestatibus adversantibus, regnum caelorum expandere, idque cum fructu longe maiore quam ullus alius coetus christiani nominis. Ante haereses seculi XVI. non numerabat multum ultra 100,000,000 fidelium, nunc vero circa 240,000,000.

In sectis e converso orientalibus et protestanticis a Romana communione disiunctis nihil apparet unde proprietatem catholici nominis sibi vindicare possint. Sunt enim inter se omnino divisae. Quare in eas plenissime quadrat quod ex Augustino retulimus [pag. 135]. *Non omnes haeretici per totam faciem terrae: sed tamen haeretici per totam faciem terrae. Alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt: ipsi se non norunt.* Ut autem Ecclesia catholica dicatur, necesse est ut eadem sit quae ubique diffunditur. Quae quidem identitas propria est Ecclesiae Romanae communionis, sicut Ecclesiae verae. Apposite Irenaeus. " Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem quae est in unum Deum (seqq. art. symboli). Hanc praedicationem cum acceperit et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae, Ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt, neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Lybia, neque hae quae in medio mundi constitutae: sed sicut

sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. „ (Lib. 1. c. 10.)

Dico IV. **Hi tantum Ecclesiae pastores legitimam ab Apostolis successionem indisruptam in ministerio servant, qui communicant cum Sede Romana.** Nam, ut probavimus in th. XVI, Christus non ita misit Apostolos ad suam Ecclesiam dilatandam et regendam, ut singuli separatos coetus fidelium instituerent, sed ita ut, quos ipsi instituissent, Petro aggregarent et subiicerent, quem propterea ipse Christus principem Apostolorum creavit ac centrum totius ecclesiasticae unitatis. Cf. praeclarum testimonium Cypriani relatum [pag. 125 nota]. Sicut autem Episcopi sunt successores Apostolorum in Ecclesiae regimine, ita Romanus Pontifex est successor B. Petri, principis Apostolorum, in eodem regimine, ac propterea ipse ex Christi institutione est centrum ecclesiasticae unitatis et caput totius apostolici ministerii quod ad Ecclesiam Christi regendam ceteris Ecclesiae praesulibus communicatur. Patet autem eiusmodi successionem in apostolico ministerio in iis tantum praesulibus permanere, qui communicent cum Romana Sede, *ut iam*, prout aiebat Optatus Milevitanus, *schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret.*

Haec apostolicitas manifeste desideratur in Ecclesiis Graecis schismaticis et Moscovitis. Neque enim gloriari possunt quasi sint ab Apostolis fundatae, siquidem auctorem habent Photium vel politicum magistratum, quorum prior fuit patriarcha intrusus et centro apostolicitatis rebellis, alter vero nullam a Christo in rebus ecclesiasticis missionem accepit. Neque refert quod adhuc valeant sacerdotales et episcopales consecrationes quae fiunt in istis ecclesiis. Nam, ut ante notavimus [pag. 75], ministerium apostolicum non una potestate ordinis constat, sed potestate etiam iurisdictionis a Christo profecta, quae procul dubio plane requiritur, tum ad legitimam praedicationem Evangelii, tum ad cetera munera ecclesiastica legitime exercenda.

Longe minus hac apostolicitate insigniuntur sectae protestanticae. Nam inceperunt seculo XVI, ac propterea dici non possunt ab Apostolis fundatae, sed in Anglia ortum duxerunt ab Henrico VIII. et regina Elisabeth, in Germania a Luthero, in Helvetia a Calvino et Zwinglio. Hi omnes rebellarunt contra legitimam auctoritatem ecclesiasticam; et hanc perduellionem, neque vitae sanctitate, neque ullo signo divinae missionis comprobarunt. Ipse Lutherus tam parum existimabat se esse a Deo legitime missum, ut intra annos 24 sententiam de missione sua quaterdecies mutaverit. Atque hac de causa monstrum illud de Ecclesia invisibili eius asseclae fabricare conati sunt.

Concluditur argumentum. Manifesta est illatio quae ex quatuor assertis proxime vindicatis colligitur. Si enim vera Christi Ecclesia certo discerni potest etiam ex singulis notis quas enumeravimus, unitatis, sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis, a fortiori ea habenda est ut Ecclesia a Christo fundata, quae has omnes notas ipsa sibi vindicat, et quarum nulla apparet in quovis alio coetu, licet christianum nomen sibi usurpet. Atqui haec est una Ecclesia Romanae communionis. De hac una Ecclesia valent quae adversus haereticos sui temporis Augustinus ita praeclare disserebat. " In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant; ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit: ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica non creditis; multa sunt alia quae in eius gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola

obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio: quae quidem si tam manifesta monstratur ut in dubium venire non possit, praeponenda est omnibus illis rebus quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodo promittitur et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide quae animum meum tot et tantis nexibus Christianae Religioni adstringit. „ (*Cont. Ep. Fundamenti*, c. 4.)

Conclusio tractatus.

Ex iis omnibus, quae huc usque disputavimus, duo existunt momenti gravissima pro vita morali totius humani generis. Patet primo, nullam fore spem salutis iis qui doctrinam Christianam, sive a Christo annuntiatam, vel audire negligunt, vel totam aut ex parte repudiant. Patet secundo, legitimam depositariam huius doctrinae esse Ecclesiam, quam regit Christi vicarius ac Petri successor, Romanus Pontifex. Ab hoc itaque fonte, non aliunde, ea doctrina est haurienda, qua salvi esse possimus, nec potest quispiam gloriari se Deum habere patrem, qui hanc matrem spreverit. Hoc tamen nihil prohibet, quominus salutem consequantur etiam illi qui extra communionem Romanam sine propria culpa existunt: nam si minus re, voto saltem possunt ad eam pertinere, ut docent theologi agentes de necessitate baptismi. Qua in re maxime sunt notanda quae Pius IX. inculcabat in allocutione habita 9. dec. 1854. " Errorem alterum, nec minus exitiosum, aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illo-

rum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei, quae sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero Apostolici nostri muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut, quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea qua praestatis sollertia ac doctrina demonstretis commissis curae vestrae populis, misericordiae ac iustitiae divinae dogmata catholicae fidei neutiquam adversari. Tenendum quippe ex fide est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum. Sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum, sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulcroque nexu miseratio ac iustitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole quae hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina, unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout caritatis ratio postulat, assiduas fundamus preces, ut omnes quaqueversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus: neque enim abbreviata est manus Domini, gratiaeque caelestis dona nequaquam illis defu-

tura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint ac postulent. Huiusmodi veritates defigendae altissime sunt fidelium mentibus, ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus, ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari. „

INDEX

DE VERA RELIGIONE

PRAECOGNITA. — Notitia supponenda de Deo. — Revelationis utilitas ac necessitas — criteria. — Miracula et prophetiae. Officium revelationis amplectendae. — Signa revelationis quomodo dignoscantur. — Genuinitas Evangeliorum — veracitas. — Vaticinia V. T. . . . . *Pag.* 1

Demonstratio Christiana.

THESIS I. Vaticinia Messianica . . . . . „ 11
„ II. Probatio inde deducta pro divina missione Iesu Nazareni . . . . . „ 15
„ III. Testimonium quo Iesus ipse probavit suam missionem . . . . . „ 21
„ IV. Gloriosa Christi resurrectio . . . . „ 27
„ V. Vita eius integerrima. . . . . „ 31
„ VI. De christianae religionis mirabili propagatione et conservatione . . . . . „ 34
„ VII. Testimonium Martyrum . . . . . „ 39
„ VIII. Testimonium Sanctorum et Doctorum . „ 42
„ IX. Exsors excellentia doctrinae christianae . „ 47
„ X. Evidens obligatio ad christianam religionem amplectendam . . . . . „ 51

Demonstratio Catholica.

THESIS XI. Ecclesia sive societas a Christo aedificata „ 58
„ XII. Ecclesiae Christi indefectibilitas et visibilitas „ 69

Thesis XIII. Hierarchia ecclesiastica divinitus instituta . *Pag.* 75
„ XIV. Ecclesiae apostolicitas . . . . „ 88
„ XV. Legitimi successores Apostolorum . . „ 94
„ XVI. Petrus Apostolorum princeps et totius Ecclesiae visibile caput . . . . „ 102
„ XVII. Petri successores Romani Episcopi . . „ 113
„ XVIII. Sanctitas Ecclesiae Christi . . . . „ 129
„ XIX. Eiusdem Ecclesiae catholicitas . . . „ 133
„ XX. Quae sit vera Christi Ecclesia . . . „ 142

210.2
Sch 31
1796

Schiffini Sanctus

AUTHOR

De Vera Religione

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONOVAN	

1796